

**<Lib. I, Q. 4, A. 1: Utrum simplicitati divinae substantiae sit  
intrinsicus possibilis qualitercumque distinctarum rationum  
realium multitudo>**

1. Quaestio ad praesens pertractanda est haec in forma: Utrum  
5 simplicitati divinae substantiae sit intrinsicus possibilis  
qualitercumque distinctarum rationum realium multitudo. Et arguo  
quod non, tribus mediis. Et primo sic: si esset divinae simplicitati  
compossibilis aliqua distinctarum rationum realium multitudo, hoc  
maxime videretur de personarum pluralitate; sed hoc non videtur sibi  
10 compossibile; ergo propositum. Consequentia patet et prima pars  
antecedentis. Sed minor probatur, quia divinae substantiae repugnat in  
natura propria aliqualis productio, ergo et personarum pluralitas.  
Consequentia patet, quia personarum pluralitas non potest intelligi  
15 sine productione. Et antecedens probatur: quaelibet mutatio repugnat  
divinae substantiae; sed quaelibet productio est mutatio; ergo  
quaelibet productio repugnat divinae substantiae. Consequentia et  
maior patet. Et minor est Philosophi in *Postpraedicamentis*: infra  
species motus continuantis generationem, alterationem,  
20 augmentationem. Sed constat quod omnis productio includitur in  
aliquo illorum modorum; ergo propositum; et per consequens  
quaelibet productio est mutatio.
2. Praeterea, omnis multitudo realium rationum arguit  
distinctionem realem; sed simplicitati divinae repugnat realis  
distinctio; ergo et multitudo realium rationum; et per consequens non  
25 est ei compossibilis. Consequentia et maior patet. Sed probo  
minorem: omnis distinctio realis est absoluta vel relativa; sed tali  
simplicitati repugnat distinctio absoluta et similiter relativa; ergo et  
quaelibet distinctio. Minor probatur, quoniam ubi sunt plura distincta  
absoluta, ibi diversae naturae; sed naturarum diversitas non potest esse  
30 essentia simplex; ergo propositum. Similiter omnis relativa distinctio  
arguit absolutam; ergo est impossibilis simplicitati. Consequentia  
patet, et antecedens probo, quoniam relatio est qua aliquid refertur;  
ergo ubi plures relationes, ibi plura relata, et per consequens plures  
relationes praeexigunt plura absoluta; quod est propositum.
- 35 3. Praeterea, si multitudo rationum realium est compossibilis  
simplicitati divinae: aut ergo notionalium, aut essentialium. Non  
notionalium, cum illae sint relativae, et iam dictum est quod hae non  
sunt possibles. Nec essentialium, ergo quaestio falsa. Consequentia  
patet et antecedens pro prima parte. Sed pro secunda probatur,

---

**141,4** Quaestio] As in previous questions, certain passages were rendered illegible because of scratches in the film; the illegible words were marked with 3 dots. Etzkorn **17** Philosophi] ARIST., *Categ.*, c. 14 (AL I-1, 39-40; c. 14 15a 13-b 16).

videlicet quod non essentialium rationum multitudo est compossibilis 40  
divinae simplicitati, quoniam vel distinguerentur formaliter, vel  
realiter. Non realiter, quia tunc essent ibi infinitae res realiter  
distinctae quod ratio simplicitatis non admittit. Nec etiam formaliter,  
quia huiusmodi distinctio: vel est ex natura rei, vel ex opere 45  
intellectus. Si primo modo, ergo adhuc talia distinguerentur realiter et  
sequitur idem quod prius. Si secundo modo, ergo nulla est ibi  
pluralitas realium rationum, quod est propositum.

4. Ad oppositum et pro veritate quaestionis arguo tantum unico  
medio: ubicumque est multiplex productio, ibi de necessitate est  
pluralitas realium rationum; sed in divinis est multiplex productio; 50  
ergo ibi de necessitate est pluralitas realium rationum, et per  
consequens simplicitati divinae est compossibilis distinctarum  
rationum realium multitudo. Consequentia et maior patent. Probo  
C 60ra minorem, quoniam quidquid perfectionis est in creaturis, est in divinis  
ponendum; sed productio per modum naturalis originis et liberalis 55  
largitionis dicit perfectionem in creaturis; ergo a fortiori est Deo  
attribuendum; quare propositum.

#### <Status quaestionis>

5. Pro decisione istius quaestionis iuxta materiam trium  
argumentorum aad quaestionis oppositum adductorum, tres erunt 60  
articuli pertractandi. Quorum primus, iuxta materiam primi argumenti,  
erit iste: utrum supremo rerum principio correspondeat in esse proprio  
fecunditas productiva. Secundus articulus, iuxta materiam secundi  
argumenti, utrum productorum in divinis realis distinctio sit absoluta  
penitus vel simpliciter relativa. Tertius articulus, iuxta materiam tertii 65  
argumenti, utrum divinae substantiae ex natura rei formaliter  
correspondeat pluralitas attributalium rationum.

#### <Status articuli>

6. Pro declaratione igitur primi articuli sic procedam. Primo  
ponam conclusiones exprimentes positionem fidei cum certis 70  
declarationibus quantum natura rei patitur. Secundo videbo si positio  
fidei possit probabiliter demonstrari. Et tertio contra conclusiones  
obiciam ad declarationem materiae pleniorum. Quantum ad primum  
pono septem conclusiones positionem fidei integre continentes.

#### <Conclusio 1>

75

7. Quarum prima sit ista: tres rationes in suprema substantia  
subsistunt incommunicabiles habentes essentialiter omnimodam

unitatem. Ista conclusio sic catholice declaratur: ubicumque est summa caritas, summa iocunditas et summa bonitas, ibi est  
 80 incommunicabilium rationum pluralitas; sed ubicumque est summa felicitas, ibi est summa caritas, perfecta iocunditas et omnis bonitas; ergo ubicumque est summa felicitas, ibi est incommunicabilium rationum pluralitas. Cum igitur in suprema substantia sit summa felicitas, sequitur quod ibi est incommunicabilium rationum pluralitas.  
 85 Consequentia patet. Et maior declaratur: Nam ubi amor ad alterum, ibi necessario plura; sed ubi caritas, ibi amor ad alterum, cum caritas non sit amor privatus; ergo ubi caritas, ibi pluralitas. Similiter ubi societas, ibi pluralitas. Sed ubi iocunditas, ibi societas, quia nullius boni sine socio fit iocunda possessio; ergo ubi iocunditas, ibi pluralitas.  
 90 Similiter ubi communicatio, ibi pluralitas; sed ubi bonitas, ibi communicatio, cum bonum sit sui ipsius diffusivum; ergo ubi bonitas, ibi pluralitas; et per consequens illa maior vera. Minor vero patet quod ubi summa felicitas, ibi caritas, bonitas et iocunditas. Quoniam ubi est malum, odium et tristitia, ibi miseria. Ergo “si oppositum de opposito  
 95 et| propositum de proposito,” et per consequens ubi felicitas, ibi bonitas, caritas et iocunditas, et ita apparet minor vera; quare propositum.

C 60rb

8. Praeterea, ubi est summa fecunditas, ibi est incommunicabilium rationum pluralitas; sed ubicumque est summa  
 100 perfectio, ibi est summa fecunditas; ergo ubi est summa perfectio, ibi est incommunicabilium rationum pluralitas. Cum igitur in suprema substantia sit summa perfectio, sequitur quod ibi est plurium rationum incommunicabilium pluralitas. Consequentia et maior patent. Sed minorem declaro, videlicet quod ubicumque est summa perfectio, ibi  
 105 est summa fecunditas, quoniam ubicumque est summa perfectio, ibi est omnis denominatio perfectionis simpliciter. Cum igitur fecunditas sit denominatio perfectionis simpliciter, sequitur propositum. Consequentia et maior patent, et minor per descriptionem denominationis perfectionis simpliciter, quoniam quod cuicumque  
 110 inest, melius est ipsum quam non ipsum; sed constat quod sterilitas quae est fecunditati opposita, est denominatio imperfectionis, ergo fecunditas est denominatio perfectionis. Propterea Is. 66 cap. dicitur per ipsum Deum: *ego qui generationem aliis tribuo, sterilis ero*; quare propositum.

115 9. Praeterea, quandocumque aliquae propositiones sic se habent quod una sequitur ex scriptura maioris auctoritatis et altera ex

94 si...95 proposito] ARIST., *Topica*, IV, c. 3 (AL V-1, 73; Δ, c. 3; 124a 9); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 326: Sicut propositum in proposito, sic oppositum in opposito. 113  
 ego...ero] Is. 66, 9.

scriptura minoris auctoritatis, si propositioni sequenti ex scriptura minoris auctoritatis non habenti aliunde evidentiam nisi de tali auctoritate intellectus assentit, a fortiori debet assentire propositioni sequenti ex scriptura maioris. Sed istae duae propositiones ‘Deus est Trinitas’ et ‘Phyrra regnavit in Graecia’, sic se habent quod neutra illarum habet naturalem evidentiam, et una sequitur ex Sacra Scriptura et altera ex chronicis, et Scriptura Sacra est maioris auctoritatis quacumque chronica mundiali. Ergo si intellectus adhaeret ibi Phyrra regnavit in Graecia’ ex chronicis, a fortiori debet adhaerere huic ‘Trinitas incommunicabilium rationum existit’. Ergo ubi intellectus adhaereret uni et non alteri, videtur quod proveniat ex eius perversitate. Consequentia patet. Sed fundamentum rationis, videlicet quod scriptura sit maioris auctoritatis patet ex octo viis, quae sunt pronuntiatio prophetica, scripturarum concordia, auctoritas scribentium, diligentia recipientium, rationabilitas contentorum, irrationabilitas singulorum errorum, ecclesiae stabilitas, miraculorum claritas, quas vias si quem delectat videre videat secundam quaestionem prologi Doctoris Subtilis, ubi istas vias pulcherime manifestat; quare propositum.

<Conclusio 2>

**10.** Secunda conclusio est haec: una istarum rationum incommunicabilium est improducta [...] et aliae per productionem suscipiunt esse deificum adaequate. Haec conclusio sic probatur: quaelibet differentia arguit aliquam oppositionem; sed Trinitas incommunicabilium rationum arguit differentiam; ergo et Trinitas incommunicabilium rationum arguit aliquam oppositionem. Consequentia et antecedens patent de se. Et tunc ultra: omnis oppositio vel est contradictoria, vel contraria, vel privative opposita, vel realtive opposita. Sed inter illas incommunicabiles rationes non est oppositio contradictoria ut apparet; nec contraria cum illa proveniat ex ratione diversarum quiditatum; nec privativa, ut de se patet. Ergo per sufficientem divisionem est relative opposita. Et tunc ultra: omnis habitudo relativa, vel est modo numeri, vel modo mensurae, vel modo potentiae. Sed illa relatio non est modo numeri cuiusmodi est dupli ad dimidium; nec modo mensurae cuiusmodi est scibilis ad scientiam;

**141,145** illas] illa *sed corr. sup. lin. a. m. C*

**134** Doctoris Subtilis] IOANNIS DUNS SCOTI, *Ordinatio*, prol., p. 2, q. un., n. 100 (ed. Vaticana, I, p. 61): Contra istas omnes in communi sunt octo viae eas rationabiliter convincendi, quae sunt: praenuntiatio prophetica, Scripturarum concordia, auctoritas scribentium, diligentia recipientium, rationabilitas contentorum et irrationabilitas singulorum errorum, Ecclesia stabilitas, miraculorum limpiditas.

ergo est modo potentiae, huiusmodi autem est producentis ad productum. Et tunc sic: inter quaecumque est habitudo producentis ad productum, de necessitate vel est circulus inter illa, vel aliqua sunt ab  
 155 uno. Ut, verbi gratia, si inter Sortem, Martinum et Platonem sit habitudo productionis, oportet vel quod inter illos sit circulus, vel quod Sortes et Plato sint a Martino, vel Sortes a Platone et Plato a Martino. Nunc autem circulus est impossibilis, quia tunc idem esset a se ipso; ergo oportet quod inter illa tria sit unum improproductum et alia  
 160 producta, et ita est inter illas incommunicabiles rationes; quare propositum.

**11.** Praeterea, in omni ordine in quo non est processus in infinitum, oportet de necessitate pervenire ad unum primum; sed inter illas rationes incommunicabiles est ordo; ergo oportet inter eas  
 165 invenire unum primum. Huiusmodi autem prioritas inter illas rationes non potest intelligi prioritas derivativa cum sint una essentia, ut dicit prima conclusio; ergo de necessitate est prioritas originis. Maior istius rationis apparet per Philosophum, et potest etiam demonstrative concludi. Et minor apparet, quia tunc vel illae rationes haberent  
 170 ordinem ad invicem, vel non. Si sic, habetur propositum, si non, videtur absurdum quod illae rationes careant ordine a quibus in haec inferiora fluit omnis ratio ordinis, ponderis et mensurae. Quare si inter illas est ordo originis et non est possibilis circulus, sequitur quod inter illas est una improducta et aliae duae productae; quod est propositum.

**12.** Praeterea, ubicumque est plena fecunditas, ibi intelligitur omnis ratio productionis sine imperfectione; sed in suprema substantia, ut dictum fuit in conclusione praecedenti, est plena fecunditas; ergo ibi est omnis ratio productionis sine imperfectione. Cum igitur omnis ratio productionis sine imperfectione sit de  
 180 necessitate reducibilis ad binarium, videlicet ad modum intellectus et voluntatis, sequitur quod ibi sunt duae productiones; sed ubicumque sunt duae productiones, de necessitate sunt duo producta et unum improproductum; ergo propositum. Declaratur ista minor: signatis tribus terminis *a b c*, similiter *a b c* sunt duae productiones, vel oportet duo  
 185 esse a tertio, vel unum ab uno et aliud ab alio, et per consequens ibi de necessitate unum inter illa est improproductum et duo producta; quare propositum.

### <Conclusio 3>

---

**186** necessitate] est unum improproductum *add. sed del. C*

---

**168** per Philosophum] Cf. ARIST., *Metaph.*, II, c. 2 (AL XXV-3, 45; *α*, c. 2; 994a 20).

**177** dictum fuit] Cf. supra n. 8.

**13.** Tertia conclusio est haec: una productarum incommunicabilium rationum per modum intellectus producitur, et altera per modum liberae voluntatis. Ista conclusio sic probatur: ubicumque sunt principia productiva alterius rationis, ibi et productiones sunt alterius rationis; sed in divinis sunt principia productiva alterius rationis; ergo et productiones erunt alterius rationis. Maior istius rationis patet, quia non videtur maior unitas in productionibus quam in principiis productivis; ergo ubi sunt principia productiva alterius rationis, ibi similiter et productiones. Sed minor declaratur, quoniam in divinis est plena fecunditas, ergo ibi est fecunditas intellectus et similiter voluntatis; sed ista duo sunt principia alterius rationis; ergo propositum.

**14.** Et tunc ultra: in divinis sunt productiva principia alterius rationis, per modum scilicet intellectus et voluntatis; ergo ibi sunt tales productiones; sed cuilibet productioni correspondet terminus productus; ergo ibi sunt duo termini producti, unus per modum intellectus, et alius per modum liberae voluntatis quod est propositum.

**15.** Praeterea, ex praecedenti conclusione: ibi sunt duo termini producti, aut ergo sunt producta eiusdem rationis, aut non. Si non, habetur propositum. Et cum ibi non videatur alia principiorum diversitas nisi intellectus et voluntatis, si vero sunt eiusdem rationis, tunc vel ambo per modum intellectus, vel ambo per modum voluntatis. Si detur unum, videlicet per modum intellectus, tunc arguo sic: sicut intellectui correspondet plena fecunditas, ita et voluntati, quia sicut memoria quae est intellectus habens intelligibile sibi praesens, in aliquo supposito est principium perfectum producendi in aliquo naturaliter notitiam sibi adaequatam, ita voluntas est principium perfectum producendi amorem sibi adaequatum; ergo quam intellectui correspondet terminus] suae productionis, tam et voluntati. Et per consequens ibi ad minus sunt duo producta, unum per modum intellectus et alterum per modum liberae voluntatis; quare propositum.

**<Conclusio 4>**

**16.** Quarta conclusio est haec: plures ad intra productiones quam duas alterius rationis existere non patitur principiorum immensa fecunditas productiva. Haec conclusio sic probatur: quandocumque aliquis actus adaequat potentiam agentis, et non est actus transiens sed permanens, non potest aliquis alius actus eiusdem rationis ab illa potentia elici; et per consequens per talem actum non erit nisi unum solum productum. Verbi gratia, si haberem aliquem actum intelligendi adaequatum intellectui meo et continue in me permaneret illi actui

C 61ra

206 praecedenti conclusione] Cf. supra n. 12.

idem tantum productum intellectualiter responderet, ut apparet, quia  
 230 non videtur unde possit tali actui alius terminus correspondere. Sed  
 actus per modum intellectus adaequat totam intellectus fecunditatem  
 cum sit infinitus, nec est actus transiens sed permanens, et per  
 consequens tali actui correspondebit unum tantummodo productum ad  
 intra.

235 **17.** Similiter arguo de voluntate quod actus ipsius voluntatis est  
 adaequativus suae fecunditatis, et per consequens non potest sibi nisi  
 unicus terminus tantummodo correspondere. Sed cum ibi non sunt  
 plura principia productiva, sequitur quod non patitur immensa  
 fecunditas talium principiorum nisi duas productiones alterius rationis.

240 **18.** Praeterea, omnis pluralitas reducenda est ad unitatem, vel ad  
 tantam paucitatem ad quantam potest reduci; sed multitudo  
 principiandi est quaedam pluralitas; ergo est reducenda vel ad  
 unitatem, vel ad tantam paucitatem ad quantam potest reduci. Sed talis  
 multitudo non potest ad unitatem reduci, cum principia habentia  
 245 modos oppositos principiandi non possint ad unum principium reduci.  
 Cum igitur intellectus et voluntas habeant modum principiandi  
 oppositum, unum per modum naturae et alterum per modum libertatis,  
 sequitur quod ista non possunt ad unitatem reduci, nec possunt ad  
 maiorem paucitatem reduci quam ad dualitatem; ergo de facto sunt  
 250 tantum duo talia principia. Et cum illa sint in divinis ex plenitudine  
 fecunditatis talis naturae, sequitur quod ibi sunt tantummodo duae  
 productiones; quod est propositum.

#### <Conclusio 5>

**19.** Quinta conclusio est haec: rationi incommunicabili capienti  
 255 per modum intellectus originem ad intra, nulla competit activa  
 productio nisi productio liberalis. Haec conclusio sic probatur: C 61rb  
 quandocumque aliqua productio habet terminum sibi adaequatum  
 simpliciter, tali productioni nullus potest alius terminus correspondere;  
 sed productioni per modum intellectus correspondet terminus  
 260 adaequatus, ut dictum est in conclusione praecedente; ergo tali  
 productioni non potest alius terminus correspondere. Cum igitur  
 terminus illius productionis sit ipsa ratio incommunicabilis per  
 modum intellectus producta, sequitur quod talis incommunicabilis  
 ratio nullo modo poterit per modum naturae aliquid producere. – Sed  
 265 quod possit liberaliter producere sic probatur: quandocumque formale  
 principium productivum alicuius est in aliquo cui in se non  
 correspondet terminus adaequatus, si aliquid per ipsum producit,

236 suae] voluntatis *add. sed del. C*

260 conclusione praecedente] Cf. supra n. 14.

sequitur quod et quodlibet aliud in quo est tale principium cum  
 condicionibus requisitis; sed voluntas est formale principium  
 productivum rationis incommunicabilis per modum voluntatis  
 productae, et talis est in ratione incommunicabili prooducta per  
 modum intellectus, et in ea non correspondet terminus adaequatus,  
 sequitur quod sicut rationi incommunicabili penitus improductae  
 correspondet talis productio quod similiter correspondet alteri rationi,  
 ex quo sunt cetera paria in una et in alia; quare propositum. 270

**20.** Praeterea, si talis ratio incommunicabilis producta per  
 modum intellectus potest aliquid ad intra taliter producere, vel  
 producet rationem incommunicabilem improductam, vel productam.  
 Non primo modo, quia tunc esset circulus in productionibus et sic  
 unum produceret se ipsum. Nec secundo modo, quia tunc vel se, vel  
 alium. Non se per eandem rationem. Nec aliam, quia non illam quae  
 producit per modum voluntatis, quia illi repugnat taliter produci.  
 Nec aliquam aliam, cum nulla alia sit possibilis, ut patet ex  
 praecedente conclusione; ergo propositum. Sed quod possit producere  
 per modum voluntatis patet ex quo habet principium cum omnibus  
 condicionibus requisitis, ut dictum est; quare propositum. 275 280 285

<Conclusio 6>

**21.** Sexta conclusio est haec: rationi incommunicabili productae  
 per modum voluntatis libere ad intra nullatenus competit activa  
 productio qualiscumque. Ista conclusio sic probatur: quoniam  
 fecunditati voluntatis correspondet terminus adaequatus; ergo per  
 ipsam voluntatem non potest talis ratio aliquid aliud producere ad  
 intra. Similiter fecunditati ipsius intellectus correspondet ad intra  
 terminus adaequatus, et cum talia duo principia sint in ratione  
 incommunicabili iam data prout eis correspondent termini adaequati,  
 sequitur quod talis ratio incommunicabilis nihil ad intra poterit  
 producere quovis modo; quod est propositum. 290 295

**22.** Praeterea, arguo inductive: vel talis ratio incommunicabilis  
 potest se ipsam| producere, vel aliam a se ipsa. Non se ipsam, quia  
 nullus est qui se ipsum producit ut sic. Nec aliam, quia cum quaelibet  
 alia producit istam, sequeretur circulatio, et per consequens adhuc  
 idem se ipsum produceret. Nec aliam ab istis tribus potest producere,  
 cum nulla alia sit possibilis ex quarta conclusione; ergo propositum. 300

<Conclusio 7>

**23.** Septima et ultima conclusio est haec: essentiali unitati in qua  
 omnes huiusmodi rationes incommunicabiles unitive conveniunt ad  
 intra, nullatenus competit producere vel produci. Haec conclusio sic 305

284 praecedente conclusione] Cf. supra n. 16.

probatur: quaecumque se habent, ut generans et genitum, sunt realiter distincta; sed unitas essentialis et quaecumque incommunicabilis ratio  
 310 non sunt ad invicem distincta realiter; ergo nec se habent ut generans  
 et genitum, et per consequens nec ratio incommunicabilis est genita a  
 tali unitate essentiali; nec unitas essentialis est quovis modo  
 incommunicabili a ratione producta; quare propositum.

24. Praeterea, ad hoc est determinatio concilii, Extra *De summa*  
 315 *Trinitate et fide catholica* in cap. ‘Damnamus’, ubi Papa dicit: “Sacro  
 approbante concilio: confitemur cum Petro quod una quaedam summa  
 res est in divinis quae nec generatur nec generat nec procedit, sed est  
 Pater qui generat et Filius qui generatur et Spiritus Sanctus qui  
 procedit;” quare propositum.

25. Ex quibus apparet Christianorum positio cuius radix in hoc  
 320 consistit, quia fecunditas in natura dicit perfectionem, et Deo attribuit  
 omnem perfectionem, et ideo sibi attribuit omnem rationem  
 fecunditatis. Cum igitur fecunditas sit vel per modum naturae vel per  
 modum libertatis, ideo istam duplicem fecunditatem Deo attribuit, et  
 325 cum fecunditas solitarium non patitur, sequitur ibi esse consortium  
 germanitatis et ex ratione duplicis fecunditatis ternarius de necessitate  
 consurgit. Quoniam igitur ibi non potest esse circulatio, ideo unum  
 improductum intelligitur et duo producta, videlicet per modum  
 intellectus et voluntatis; quod quia volitio cognitionem videtur  
 330 praesupponere, ideo est unum ibidem a duobus productum et unum ab  
 uno tantum. Quae volentes, iuxta humanam intelligentiam exprimere,  
 improductum dixerunt Patrem, productum vero ab uno solum  
 vocaverunt Filium, et ab utroque processibilem dixerunt Spiritum  
 Sanctum sive donum. Quae, quamvis istis sint distincta proprietatibus,  
 335 retinent tamen essentialem omnimodam unitatem cui nec gignere  
 competit neque gigni.

26. Propterea quod Ioannes in sua canonica 1 5 cap., catholice  
 proclamabat: *Tres sunt qui testimonium dant* in caelo, Pater, Verbum  
 et Spiritus Sanctus, et hi *tres unum sunt*. Et sic patet quid est ad  
 340 articulum iuxta veritatem fidei respondendum.

#### <Argumenta Ioannis Duns Scoti>

27. Nunc videndum est| si positio fidei sit declarabilis, etsi non C 61vb  
 per demonstrationis medium, saltem per probabiles rationes. Pro quo  
 exsequendo adduco rationes Doctoris Subtilis qui inter alios conatus

313 incommunicabili] scrip. pos. ratione add. sed del. C

314 De...315 catholica] *Decretales Gregorii IX*, I, tit. 1, c. 2 (ed. A. FRIEDBERG, II, 6-7).

338 Tres...339 sunt] I Ioan., 5, 7-8.

344 Doctoris Subtilis] IOANNIS DUNS SCOTI, *Ordinatio*, I, d. 2, p. 2, q. 1-4, n. 221 (ed. Vaticana, II, p. 259-260).

est materiam attemptare. Arguit namque I *Super Sententias* 345  
 distinctione 2<sup>a</sup> quaestione 7<sup>a</sup> per aliquas rationes aliquialiter ostensivas.  
 Primo igitur arguit sic, quidquid de ratione sua formali est principium  
 productivum in quocumque est a se sine imperfectione, in eo est  
 principium productivum; sed memoria fecunda est summe perfecta,  
 videlicet intellectus perfectus habens obiectum intelligibile sibi 350  
 sufficientem praesens est principium productivum notitiae genitae.  
 Igitur tale principium in quocumque est a se sine imperfectione, in eo  
 est principium productivum secundum proportionem suae  
 perfectionis. Sed in suprema substantia est memoria fecunda, quoniam  
 ibi est semper obiectum intelligibile quod est sua essentia sibi 355  
 praesens. Ergo in Deo est productio notitiae genitae. Cum igitur in  
 Deo non sit productum per modum accidentis ut in nobis, quia hoc  
 dicit imperfectionem, igitur ibi erit per modum subsistentis, et per  
 consequens ex ratione fecundae memoriae concluditur dualitas  
 suppositorum, unius in esse producentis et alterius in esse producti, et 360  
 per consequens ibi suppositorum pluralitas; quod est propositum.

**28.** Praeterea, arguitur ex parte voluntatis sic sumendo eandem  
 maiorem prius sumptam: quidquid de ratione sua formali est  
 principium productivum, in quocumque est a se sine imperfectione, in  
 eo est principium productivum; sed voluntas perfecte fecunda, hoc est 365  
 habens obiectum sub ratione boni ostensum et necessarii a  
 complacentia ad tale obiectum totaliter inclinata, est principium  
 productivum amoris adaequata; igitur voluntas talis in quocumque est  
 a se sine imperfectione, in eo est principium productivum. Sed in  
 suprema substantia est voluntas perfecte fecunda, nam ibi voluntas 370  
 talis necessaria complacentia est ad suam essentiam totaliter inclinata.  
 Ergo ibi est principium productivum amoris adaequati, et ibi non  
 potest esse per modum accidentis cum dicat imperfectionem, et per  
 consequens ibi est productum per modum subsistentis, et hoc per  
 modum voluntatis; et per priorem rationem aliud per modum 375  
 intellectus. Et per consequens ibi sunt duo producta et per consequens  
 ad minus unum producens, quare sequitur ibi esse trium subsistentium  
 pluralitatem; quod est propositum.

**29.** Praeterea, obiectum ut est in memoria producit se ipsum ut  
 est intelligentia. Declaro quid vult dicere Doctor: in memoria Sortis 380  
 est species intelligibilis Sortis, et tunc intelligentia Sortis est quasi

---

**362** Praeterea] Cf. forte IOANNIS DUNS SCOTI, *Ordinatio*, I, d. 2, p. 2, q. 1-4, n. 226 (ed. Vaticana, II, p. 263). **379** Praeterea] IOANNIS DUNS SCOTI, *Ordinatio*, I, d. 2, p. 2, q. 1-4, n. 238 (ed. Vaticana, II, p. 270-271).

potentia respectu speciei intelligibilis] existentia in memoria. Quando ergo intelligentia convertitur ad memoriam, species talis se ipsam producit in intelligentia, vel saltem se ipsam secundum esse diminutum. Quod igitur obiectum utrobique, tam in memoria videlicet quam in intelligentia, habet esse secundum quid et differens ab eis hoc est imperfectionis, quia si memoria esset perfecta et intelligentia similiter, obiectum esset simpliciter idem utrobique. Ergo semota omni imperfectione, reservando ilud quod est perfectionis, obiectum idem existens in memoria producet aliquid in intelligentia cui est simpliciter idem essentialiter. Sed in suprema substantia ita est respectu intellectus et voluntatis; ergo propositum. Et per consequens ibi est notitia genita adaequata tali obiecto quod est immensum, et similiter amor, et ita Trinitas suppositorum.

395 **30.** Praeterea, et quarto arguitur sic: in qualibet condicione entis, quae non est ex ratione sua imperfecta, necessitas est simpliciter perfectionis. Consequentia patet et maior declaratur. Sed productio est entis condicio quae non est ex ratione sua imperfecta; ergo et in ratione productionis necessitas est simpliciter perfectionis.

400 Consequentia patet, et maior declaratur: quoniam sicut necessarium est condicio perfectionis in ente in quantum ens, ita etiam est perfectionis in quolibet dividente ens, quia non est necessario ex se imperfectum sive limitatum. Verbi gratia, quando ens dividitur per oppositum, alterum dividendum est perfectionis in ente et alterum imperfectionis. Ita similiter in qualibet condicione dividente ens, quoniam ipsa divisa unum dicit perfectionem et aliud imperfectionem. Cum igitur in qualibet tali divisione sit divisio per necessarium et contingens, sequitur quod cum contingens dicit imperfectionem, quod necessitas dicit perfectionem; quod erat probandum. Et minor est de se nota. Et tunc ultra cum productio dividatur in necessariam et contingentem, et contingens dicit imperfectionem, sequitur quod necessitas dicit perfectionem. Sed quodlibet tale est Deo attribuendum, et per consequens necessario producere Deo est attribuendum. Cum igitur hoc non possit ad extra verificari, quia nihil extra se necessario producit, sequitur quod ad intra; quare propositum.

415 **31.** Praeterea, omnis productio primaria competit primo producenti; sed naturalis productio est primaria productio; ergo naturalis productio competit primo producenti. Huiusmodi autem primo producens est ipse Deus, ergo sibi competit naturaliter

---

382 memoria] Sortis *add. sed del.* C 407 tali] condicione *add. sed del.* C

---

395 arguitur sic] IOANNIS DUNS SCOTI, *Ordinatio*, I, d. 2, p. 2, q. 1-4, n. 239 (ed. Vaticana, II, p. 271-272).

producere. Et cum hoc non possit esse ad extra, sequitur quod ad intra; 420  
 quare propositum. Consequentia patet et maior ex hoc quoniam omnis  
 C 62rb condicio primaria| est primo simpliciter attribuenda. Sed si naturalis  
 productio est condicio primaria, sequitur quod competit primo  
 producenti. Et minor probatur, quoniam sub productione continentur  
 productio necessaria et contingens. Vel ergo sunt aequae primae, vel 425  
 habent ordinem. Non primo modo, quia cum una sit altera perfectior,  
 sequitur quod inter ipsas est ordo. Et tunc si inter ipsas est ordo, et  
 necessaria productio est perfectior, sequitur quod est prior, quae erat  
 minor probanda, et per consequens oppositum.

**32.** Praeterea, et ultimo arguitur sic: si relationes eiusdem modi 430  
 possunt alicui limitatae substantiae competere, a fortiori et illimitatae  
 naturae; sed relationes secundi modi relativorum competunt alicui  
 limitatae substantiae; ergo a fortiori possunt illimitatae substantiae  
 convenire. Consequentia patet et maior ex hoc, quoniam si limitata  
 substantia potest convenire modos oppositos cum sic continere 435  
 videatur ex quadam illimitatione ad utrumque pervenire, sequitur quod  
 a fortiori illimitata substantia multo perfectius poterit modos  
 huiusmodi continere. Et minor declaratur, quoniam secundum  
 Philosophum, V *Metaphysicae* in cap. 'De ad aliquid', tres sunt modi  
 relativorum, videlicet modus numeri, et modus potentiae, et modus 440  
 mensurae. Nunc autem voluntati competit ratio mobilis et moventis  
 qui modus reducitur ad secundum, ut patet per exempla Philosophi  
 ibidem, quae sunt mobile, movens, calefactivum et calefactibile,  
 genitum et generans, quare sequitur quod isti modi possunt primae  
 substantiae convenire. Quod autem sit ita de voluntate patet, cum ipsa 445  
 ex sua libertate possit se ipsam quocumque velit movere; quare  
 propositum..

#### <Contra rationes Scoti>

**33.** Sed licet istae rationes pulchrae videantur, non tamen 450  
 multum cogent infidelem, nec similiter facerent fidelem articulis  
 fidei firmius adhaerere. Idcirco ad ipsas per ordinem posset taliter  
 responderi. Ad primam igitur cum assumit quidquid de ratione sua  
 formali est principium productivum, in quocumque est a se sine  
 imperfectione, in eo est principium productivum, transeat ista. Et cum  
 subiungitur quod memoria perfecta est huiusmodi, ergo propositum, 455  
 hic dico pro materia argumenti quod ratio ista tria supponit quae

**430** Praeterea] IOANNIS DUNS SCOTI, *Ordinatio*, I, d. 2, p. 2, q. 1-4, n. 240-241 (ed. Vaticana, II, p. 273-274). **432** relationes secundi] Id est, modus potentiae; vide notam sequentem. **438** secundum Philosophum] ARIST., *Metaph.*, V, c. 15 (AL XXV-3, 112; Δ, c. 15; 1020b 26-32). **452** Ad primam] Cf. supra n. 27.

simpliciter negarent philosophi physici. Primum quod quilibet intellectus sit activus. Hoc autem apud eos falsum est, quoniam intellectus possibilis non est activus, cum secundum eos sit quo est  
 460 omnia fieri. Similiter supponit secundo quod intellectus producat aliquid, quod falsum est apud eos. Nam intelligentia se ipsam intelligit, et tamen propter hoc non producit aliquid, quoniam intelligentiae se ipsas intelligendo nec producunt substantias nec accidens. Similiter supponit tertio quod ex imperfectione provenit  
 465 quod aliquid producat aliud distinctum a se essentialiter. Hoc ipsi simpliciter negarent, immo dicerent expresse quod est contradictio quod aliquid producat aliquid distinctum a se et tamen eiusdem essentiae singularis cum eo. Sic igitur apparet quod ratio illa multa supponit quae simpliciter negarent philosophi. Et posset etiam  
 470 secundum illam rationem probari quod non solum prima intelligentia, immo quaelibet per istum modum, esset trina et una. Signo gratia exempli *a* intelligentiam. Et arguo sic: quidquid de ratione sua formali etc. sed memoria etc. Cum hoc igitur totum sit in quacumque natura intellectuali, sequitur quod quilibet talis esset trina eo modo quo  
 475 prima, et per consequens ita essent ibi tria supposita, unum improductum et duo producta sicut in divinis, quod totaliter videtur absurdum. Et sicut dicitur de ista prima ratione, ita de secunda; quare apparet quod illae rationes non multum concludunt.

**34.** Praeterea, contra materiam rationis posset sic argui. Per hoc  
 480 vult in divinis habere duo producta ad intra, quia divina essentia concurrat ut obiectum suo intellectui intelligibile infinitum, et similiter quia eadem concurrat ut obiectum volibile infinitum respectu suae voluntatis, et ideo habet duo producta, unum per modum intellectus et alterum per modum voluntatis. Ex hoc posset argui quod essent  
 485 infinita aeternaliter producta per modum intellectus et per modum voluntatis similiter, quod tamen videtur absurdum. Et consequentiam deduco, quoniam divina essentia aeternaliter se suo intellectui repraesentabat ut speciem intelligibilem Sortis. Si ergo ex hoc sequitur aliquod productum esse, sequitur quod aeternaliter fuit productio  
 490 alicuius realis quod non est Deus, quod tamen videtur falsum.

**35.** Si autem DICATUR quod non oportet quod sit in esse reali, sed praecise sufficit quod sit in esse intentionali, sic conformiter DICERETUR sibi quod divina essentia, quando se suo intellectui repraesentat ut speciem intelligibilem sui, non oportet quod aliquid

---

459 quo...460 fieri] Cf. ARIST., *De anima*, III, c. 5 (I, c. 5; 430a 10-17); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 186: In anima est necesse haec duo esse, unum secundum quod potest fieri omnia intelligibilia et recipere ea, et hoc est intellectus possibilis. 477 de secunda] Cf. supra n. 28.

producatur in esse reali, sed sufficit quod in esse intentionali. Et sic 495  
universaliter posset dici de quibuscumque aliis intelligibilibus, et ita  
ratio non multum concludit.

**36.** Ad tertiam rationem cum dicitur quod obiectum ut est in  
memoria producit se ut est in intelligentia, hic levissime diceretur  
quod licet in nobis ita est quod species alicuius rei existens in 500  
memoria, postmodum movet intelligentiam ad actualem sui notitiam,  
C 62vb sicut] apparet in exemplo familiari. Nunc intelligo Sortem, et ex tali  
intellectione relinquitur species in memoria quae postmodum ducit me  
in actualem Sortis notitiam post habituaalem, non tamen hoc videtur  
possibile in intelligentiis simplicissimis quibus est idem esse et 505  
intelligere. Et ideo licet ibi idem se ipsum intelligat, nihil tamen ibi  
videtur produci; quare propositum..

**37.** Ad quartam rationem dico quod philosophice modicum  
concludit et theologice minus. Nam cum assumit quod in qualibet  
condicione entis quae non est ex ratione imperfecta, necessitas est 510  
simpliciter perfectionis. Ponamus quod philosophus concederet sibi  
totum usque ibi cum dicit quod “hoc non possit ad extra,” hoc sibi  
simpliciter negaretur, immo diceret philosophus quod necessario agit  
ad extra cum sit causa essentialiter ordinata in cuius potestate non est  
agere sine causis secundis, et ideo tam necessario agit ad extra quam 515  
aliae causae secundae; quare apud eos modicum concluderent. Sed  
theologice similiter non concludit, nam productio Spiritus Sancti,  
immo totius Trinitatis ad extra, est condicio entis quae ex sua ratione  
non includit imperfectionem; aliter aliquid imperfectum diceretur de  
Deo, quod falsum est. Et tamen necessitas non esset perfectionis, 520  
immo imperfectionis, quia tunc Deus dependeret ab alio a se in hoc  
quod non posset non esse sine eo, nec etiam esset in potestate sua non  
producere ... . Sic igitur apparet quod illa maior assumpta non habet  
multum de colore; quare propositum.

**38.** Ad quintum quod assumitur quod omnis productio primaria 525  
competit primo talis est naturalis. Ergo dico quod philosophice, dato  
quod sibi concederetur quod Deus naturaliter agit ad extra, non  
propter hoc haberet suum intentum, quia cum dicit quod ‘hoc est  
inconveniens ad extra’, hoc sibi simpliciter negaretur. Verumtamen  
adhuc theologice diceretur quod naturaliter producere non esset maioris 530  
perfectionis quam libere producere, quoniam productio Filii est  
naturalis, et productio Spiritus Sancti est libera. Et tamen una

---

496 posset] de add. sed exp. C 520 necessitas] non est ibi *add. sed del.* C

---

498 Ad tertiam] Cf. supra n. 29. 508 Ad quartam] Cf. supra n. 30. 525 Ad quintum] Cf.  
supra n. 31.

productio non est quovis modo perfectior alia, aliter Filius ex vi suae  
 productionis esset perfectior Spiritu Sancto quod nullatenus est  
 535 concedendum, immo apparet quod naturaliter agere nec dicat  
 formaliter perfectionem nec imperfectionem, cum nullus modus  
 perfectionis deficiat Filio vel Spiritui Sancto, et tamen nec Filio  
 competit naturaliter agere nec Spiritui Sancto; quare propositum. Et ita  
 apparet quod ratio non nimium est convincens.

540 **39.** Ad] sextum dico quod illud argumentum se fundat super  
 parva radice. Per hoc enim quod aliquid potest se ipsum movere vult  
 inferre quod aliquid potest se ipsum producere. Unde dato quod  
 voluntas potest se ipsam movere, non oportet quod ex hoc infinita  
 substantia posset se ipsam producere, vel ad minus quod in ea fieret  
 545 vel posset qualiscumque productio imaginari. Ex quibus apparet quod  
 in rei veritate argumentum non multum concluderent infideli, nec  
 etiam similiter fideli; quare propositum.

C 63ra

**<Argumenta Petri Aureoli>**

**40.** Aliter dominus Petrus Aureoli circa praemissam materiam  
 550 imaginatur in opere ordinario, distinctione 3, quaestione 3, ubi dicit  
 quod potest demonstrari quod primum principium subsistit in tribus  
 suppositis, uno quidem reali et duobus intentionalibus, vel quod in  
 omnibus tribus suppositis realibus..

**<Argumenta Petri Aureoli>**

555 **41.** Pro quo probando existit duas conclusiones quarum prima est  
 haec: quodlibet intelligens se et complacens vel amans se necessario  
 in tribus subsistentibus triplicatur. Secunda propositio est quod cum  
 Deus sit intelligens quaelibet harum partium potest eligi quod illa  
 supposita sint realia, intentionalia duo, et tertium reale. Pro cuius  
 560 imaginatione capienda est advertendum quod ipsi imaginatur rem  
 habere multiplex esse. Ad praesens duplex, videlicet esse reale in  
 propria essentia, et esse conspicuum, quod quidem apud eum est esse  
 reale, licet non propriae existentiae. Verbi gratia, intellectus habet  
 suam propriam existentiam, sed cum se ipsum intelligit ponit se quasi  
 565 in quodam esse conspicuo et apparenti ita quod se ipsum intelligendo  
 quasi geminatur, quia est in se et est ante se. Sic igitur intelligendo  
 probatur prima conclusio sic: sicut se habet albedo ad esse album, sic  
 apparitio ad esse apparens; sed sicut se habet albedo ad esse album  
 quod impossibile est ipsam esse alicuius quin det sibi esse album; ergo  
 570 sic se habebit apparitio ad esse apparens quod impossibile est ipsam

---

559 realia] vel *add. sed del. C* 569 quod] ipsam *add. sed del. C*

---

540 Ad sextum] Cf. supra n. 32.

esse alicuius quin det sibi esse apparens. Sed constat quod esse album est quoddam esse reale, ergo et esse apparens; et per consequens esse apparens sive esse conspicuum est esse reale illius quod apparet. Cum igitur intellectio, visio, auditio et similia sint reales apparitiones, sequitur quod intellectus se ipsum intelligendo ponit se in quodam esse conspicuo et apparenti. Quare sequitur quod geminat se ante se, et per consequens videtur quod intentionaliter vel realiter est ibi pluralitas suppositorum. 575

**42.** Praeterea, intellectio est simillima rei cuius est intellectio, aut ergo per tales| intellectiones res capit aliquid esse intentionale, aut 580  
 C 63rb solum quandam denominationem extrinsecam. Si primo modo, habetur propositum quod talis res geminatur. Si non, ergo non plus per talem intellectionem res caperet aliquid esse quam Caesar per picturam vel Hercules per suam statuam, quod non videtur verum, quoniam intellectus se ipsum intelligens est suae intellectioni 585  
 praesens. Sed Caesar aut Hercules in nullo est praesens picturae a qua denominationem huius suscipit. Ergo oportet quod per intellectionem intellectus aliquid esse suscipiat, et quod esse intellectum non sit pura denominatio sicut esse pictum de Caesare dicitur; quare propositum.

**43.** Praeterea, cum intellectus intelligit rosam et fertur obiective 590  
 super rosam, quaeritur quid est illud quod obiective sic obicitur intellectui? Aut est species informans intellectum, aut actus intellectus aut res facta per intellectum, aut res subsistens praeter intellectum, aut rosae omnes existentes extra, utpote in esse intentionali et apparenti quasi una ratio totalis. – Primum non potest dari, videlicet quod sit 595  
 species rosae existens in intellectu, quia tunc aut ibi sistit intellectus aut non. Primum non potest dari poni, quia tunc intellectus non intelligeret rosam sed speciem rosae tantum. – Si detur secundum quod intellectus non sistit ibi, tunc illud in quo ultimate sistit intellectus est res illa in esse conspicuo et apparenti de qua nunc est 600  
 inquisitio. – Nec potest dari quod sit actus intellectus rosa apparens, quia tunc intellectus primo cerneret suum actum et mediante illo cerneret suum obiectum, et per consequens non directe cerneret res, tum etiam dicit quod rediret error Commentatoris quod unus 605  
 intellectus esset in omnibus, quia cum illa rosa non sit particularis sed videtur in omni homine una, sequitur quod si sit actus intellectus et per consequens intellectus eius subiectum existit quod est idem in

---

**588** sit] ita *add. sed del.* C **607** subiectum] sub *add. sed del.* C

---

**590** Praeterea] Cf. PETRI AUREOLI, *Scriptum in I Sent.*, d. 2, sect. 11, n. 98 (ed. E. BUYTAERT, II, p. 603-604). **604** error Commentatoris] AVERROES, *De anima*, III, com. 5 (ed. F. S. CRAWFORD, p. ???).

vobis et in me et ita in aliis. – Nec potest dici tertium, videlicet quod sit res facta per intellectum, quia tunc intellectus non intelligeret rem  
 610 extra cum praecise terminaretur ad talem rem factam per intellectum.  
 – Nec potest dici quartum, videlicet quod sit quoddam subsistens, quia sic redirent ideae Platonis. Ergo per sufficientem divisionem et remotionem aliarum partium relinquitur quintum quod est propositum de illo esse intentionali; quare propositum.

615 **44.** Consimiliter etiam probat quod per amorem amans capit esse egressum et latum extra se ita ut vi amoris extra se exeat modo spirituali et intentionali. Hoc dicit: probatur a priori et a posteriori. A  
 priori sic: quoniam amor fert formaliter cor amantis in aliud; ergo  
 necesse est quod anima et spiritus amantis per amorem capiat esse  
 620 latum, sed non realiter, ergo intentionaliter. A posteriori probatur sic: patet enim per experientiam quod amans non attrahit amatum in amore honesto et amicitiae; talis enim est amor desiderii et concupiscentiae; ergo amans egreditur ad amatum spiritualiter ut inhaereat illi. Et ex his, prima propositio sic concluditur: omnis intelligens se et  
 625 complacens amore in se ipso, est in se et ante se et extra se; sed talis est una res subsistens; ergo propositum. Et ita dicit: est de qualibet intellectuali substantia quod est in tribus suppositis, dum tamen se actu intelligat et diligit.

**45.** Secunda propositio sic probatur: secundum omnes  
 630 communiter philosophantes Deus immutabiliter se ipsum intelligit et in se complacet, ut patet XII *Metaphysicae*. Igitur necesse est ut subsistat in se realiter et ante se, vel realiter vel saltem intentionaliter, cum se ipsum semper intelligat, et extra se vel realiter vel intentionaliter. Sed philosophi elegerunt quod tantum intentionaliter  
 635 sicut videtur quod Plato posuerit et etiam Aristoteles ut testatur Commentator, XII *Metaphysicae* commento 39 cum probasset in Deo esse comprehensionem et vitam voluptuosam. Et per hoc putaverunt antiqui trinitatem esse in Deo, et voluerunt per hoc dicere quod essent tres, sed unus Deus, per hoc quod in eo erat intellectio et complacentia  
 640 sui; sed statim declarat quod hoc est impossibile loquendo realiter de Trinitate reali. Concesserunt ergo, dicit, philosophi quod in Deo essent tria supposita, unum reale et alia differentia intentione et sola ratione.

**46.** Catholici vero elegerunt partem aliam et magis rationalem quod unam sic probat: quidquid perfectionis est in Deo maxime est

---

**631** XII *Metaphysicae*] Cf. ARIST., *Metaph.*, XII, c. 7 (AL XXV-3, 258-259; Λ, c. 9; 1172b 14-30). **636** Commentator] AVERROES, *Metaph.*, XII, com. 39 (ed. Iuntina VIII, f. 332vaHI): Est igitur unus Deus sapiens, et hoc putaverunt antiqui trinitatem esse in Deo in substantia et voluerunt evadere per hoc et dicere quia fuit trinus et unus Deus, et nescierunt evadere.

ponendum. Sed nobilius est Verbum divinum, si ponatur reale quam si 645  
 sit solum intentionale, et eodem modo de Spiritu Sancto. Ex  
 imperfectione enim est quod verbum mentis nostrae et spiritus amoris  
 procedant in esse diminuto et intentionali. Igitur rationabilius est quod  
 quodlibet horum trium suppositorum sit reale in Deo. Et ita dicit, licet  
 non sit demonstratum esse tria realia supposita, tamen satis 650  
 demonstratum est fore tria intentionalia. Et haec est sua intentio per  
 quam nititur per creatam imaginem in Deo concludere Trinitatem.

<Contra argumenta Petri Aureoli>

47. Sed quia fundamentum istius doctoris est de isto esse 655  
 conspicuo et apparenti quod est aliquid praeter actum intelligendi, nec  
 est res subsistens vel fabricatum aliquid per intellectum, nec similiter 655  
 C 63vb est species intelligibilis, ideo non bene apparet| qualiter ista positio  
 habeat solidum fundamentum. Arguo igitur contra ipsam breviter  
 investigando de tali esse. Quaero igitur: an tale esse habet aliquod esse  
 subiectivum, an tantummodo esse obiectivum. Si primo modo, cum 660  
 omne esse subiectivum sit ens reale, et per consequens substantia vel  
 accidens, sequitur quod tale esse subiectivum est accidens vel  
 substantia. Non est accidens, quia quaeritur de subiecto. Et non est  
 intellectus, cum per eum non sit species, nec actus intelligendi, nec  
 aliquid fabricatum per intellectum. Quare non est in intellectu 665  
 tamquam in subiecto, cum ibi nihil aliud videatur esse. Nec est  
 substantia per idem, quia sic redirent ideae Platonis quod ipse nititur  
 vitare. Ergo non videtur habere subiectivum esse. Nec similiter  
 obiectivum tantum, quia tunc in sensatione rei sensibilis numquam  
 vera qualitas apprehenderetur, sed tantummodo tale esse obiectivum, 670  
 quod falsum est, cum obiectum sensus sit vera res extra animam ad  
 quam sensitivus intuitus terminatur. Quare istud esse conspicuum nihil  
 est.

48. Praeterea, quaero de illo esse conspicuo in quo albedo 675  
 constituitur quando videtur: vel est realiter ipsa albedo, vel aliquid  
 distinctum ab ea. Si primo modo, contra: quaecumque sunt idem 675  
 realiter simul existunt generatione et corruptione, ut dicit Philosophus  
 IV *Metaphysicae*; sed ista non sic se habent; ergo propositum. Si sunt  
 distincta, nec unum est pars alterius, sequitur quod unum sine altero  
 potest apprehendi, saltem de Dei potentia absoluta; et per consequens 680  
 frustra ponitur tale esse conspicuum et apparens.

658 contra ipsam] Cf. supra n. 41. 674 quaero] Cf. supra n. 41. 677 Philosophus]  
 ARIST., *Metaph.*, IV, c. 2 (AL XXV-3, 68-69; Γ, c. 2; 1003b 26-30); *Auct. Arist.*, ed. J.  
 HAMESSE, p. 122: Eadem sunt quorum generatio et corruptio est eadem.

49. Praeterea, ... .. apparet sensui, quaero an ipsa albedo apparet in propria existentia, an non. Si non, ergo tunc albedo non videtur, quod est manifeste falsum. Si sic, et praeter hoc apparet tale esse  
685 conspicuum, et per consequens ibi sunt duo apparentia; sed hoc est falsum, ergo positio. Falsitas consequentis probatur: quando sunt alicui potentiae duo apparentia, qua ratione unum illorum fit in esse apparenti, eadem ratione et reliquum; et per consequens talis esse conspicuum est esse apparens et sic erit processus in infinitum.

690 50. Nec valet si dicatur quod illud esse apparens apparet per se ipsum, sed non res, contra: quandocumque aliququa sic se habent quod unum est obiectum per se potentiae et aliud non, ita aequae vel saltem non magis, si unum illorum est per se apparens, a fortiori et reliquum, et per consequens quam illud esse apparens ponitur per se ipsum  
695 videri tam et albedo. Frustra igitur ponitur tale esse apparens respectu talis rei. Dico igitur quod per nullam notitiam sensitivam vel intellectivam res capit aliquod esse medium inter actum cognoscendi et rem.

C 64ra

#### <Contra rationes Petri Aureoli>

700 51. Ad rationes igitur; ad primam cum dicitur quod sicut albedo etc., hic dico quod non est imaginandum quod esse album sit distinctum a Sorte cui accidit esse album, sed est ipsamet res alba. Sic dico de esse rei apparentis quod ipsa apparens est ipsamet, non quod habeat duo esse, unum existentiae et alterum apparentiae. Quando  
705 ergo dicitur quod apparitione aliquid apparet, si sic intelligatur, id est intellectione aliquid intelligitur, vel visione aliquid videtur, conceditur et tunc quando ex hoc infertur quod est quoddam esse apparens, si intelligatur quod aliquid sit in esse positum per talem intellectionem vel visionem, consequentia nihil valet. Nam intelligendo patrem  
710 meum per istam intellectionem, nullum esse patris mei produco; quare etc.

52. Ad secundum cum dicitur quod intellectio est rei simillima, quidquid sit de hoc non multum curo. Dico tamen quod per intellectionem res nullum capit esse. Ad probationem cum dicitur  
715 quod tunc non plus caperet esse quam Caesar per picturam, absque dubio verum est, immo non plus res intellecta est praesens intellectui

---

690 apparens] *iter. sed del. C*

---

700 ad primam] Cf. supra n. 41. 712 Ad secundum] Cf. supra n. 42.

quam Caesar picturae, nisi talis res intellectus ipsemet vel aliquid in ipso.

53. Ad tertium cum quaeritur quid ultimate terminat talem intellectionem, dico breviter quod species intelligibilis talis rei, sicut cum dicimus aeternaliter ante creaturas quid terminabat intellectionem divinam nisi species rei quae est ipsamet divina essentia et tamen nullum esse creaturae. Sic et in proposito, sed tamen per hoc intellectus de venit in notitiam rei quia talis species ... .. non quod per intellectionem creatura suscipiat aliquod esse. Sic igitur apparet quod rationes non sumunt fundamentum reale.

54. Et per hoc ad quartum cum dicit quod amor fert cor amantis in aliud, si intelligat quod voluntas per dilectionem tendit in obiectum, hoc concederetur. Sed per hoc non capit aliquod esse nec latum nec non-latum. Et ideo videtur quod huiusmodi modus loquendi sit potius metaphoricus quam realis; sic etiam cum dicitur quod animus geminatur. Ex quibus apparet quod fundamentum positionis modicum probat propositum, licet in rei veritate imaginatio est pulchra ad intelligendum beatissimam Trinitatem. Ex quibus apparet quod non immerito fatendum est cum Augustino quod mentis humanae acies invalida etc.

#### <Iterum contra conclusiones Petri Aureoli>

55. Contra praedictas conclusiones, ut veritas magis appareat, arguam per hunc modum breviter. Ex illis conclusionibus sequuntur formaliter aliquae conclusiones quae videntur impossibiles, ergo et ipsae sunt impossibiles. Consequentia patet et antecedens] probatur. Quoniam sequitur primo quod Deus generat Deum, secundo quod Deus spirat Deum, tertio quod Deus generat et generatur et spirat et spiratur, quarto quod deitas non generat nec generatur nec spirat nec spiratur, quinto quod generare et spirare sunt aliqua elicita in divinis, sexto quod illud cui repugnat produci est terminus formalis generationis et similiter spirationis. Sed haec omnia videntur impossibilia; ergo propositum. Consequentia patet. Et minor pro qualibet sui parte declaratur. Et primo quod prima conclusio sequens sit impossibilis arguitur aliquibus mediis. Et primo sic: si aliquis homo generat hominem, et nullus est homo nisi unus singularis tantum, utpote Sortes, ergo aliquis homo generat se ipsum. Ista consequentia patet, quoniam ex opposito consequentis cum una praemissarum,

721 ante] *sup. lin. a. m. C*

719 Ad tertium] Cf. supra n. 43. 727 ad quartum] Cf. supra n. 44. 735 cum Augustino] AUGUST., *De Trin.*, I, c. 2 (CCL 50, 31; PL 42, 822): Quia mentis humanae acies invalida in tam excellenti luce non figitur nisi per iustitiam fidei nutrit vegetetur.

sequitur oppositum alterius praemissae. Nam sequitur ‘nullus homo  
 755 generat se ipsum, et tantum est unus solus homo, utputa Sortes, ergo  
 nullus homo generat hominem’. Patet igitur illa consequentia. Ergo  
 pariformiter arguendo erit consequentia bona: ‘Deus generat Deum et  
 nullus est Deus nisi unicus et singularis, immo non sunt plures dii,  
 ergo Deus generat se ipsum.’ Sed consequens est falsum ex I *De*  
 760 *Trinitate*: “nulla enim res se ipsam gignit ut sit.” Ergo et antecedens et  
 non minor, quia tunc essent plures dii, ergo maior. Et per consequens  
 falsum videtur quod Deus generat Deum; quare propositum.

**56.** Praeterea, iste terminus ‘Deus’, vel est singularis, vel trinis  
 communis. Non communis, quia tunc vel aequivocus vel univocus vel  
 765 denominativus. Non aequivocus in divinis, quia sic aequivoce  
 diceretur de Patre et Filio quod non videtur verum, quia tunc non  
 eadem ratione participarent divinitatem. Nec denominativus, quia sic  
 esset proprium vel accidens et per consequens non essentialiter  
 diceretur, quod falsum videtur. Nec univocus, quia tunc vel genus vel  
 770 species vel differentia, secundum aliquos qui dicunt differentiam  
 univoce praedicari. Nec genus nec species, cum Deus non sit in genere  
 ut pluries dixit Magister, et maxime distinctione 8 I. Nec differentia,  
 quia sic est pars definitionis illius cuius est differentia. Ergo per  
 sufficientem divisionem non est terminus communis et per consequens  
 775 est singularis. Et per consequens cum dicitur ‘Deus generat Deum’,  
 idem est acsi diceretur ‘Sortes generat Sortem’. Sed constat quod haec  
 est impossibilis ‘Sortes generat Sortem’, sumendo ipsum terminum  
 prout de uno solo dicitur, ergo similiter in proposito; quare etc.

**57.** Praeterea, cum dicitur ‘Deus generat Deum’, quaero pro quo  
 780 supponit subiectum? Vel pro supposito, vel pro natura. Non pro  
 natura, quia tunc natura generaret quod non communiter est  
 concessum. Si pro supposito, sequitur quod eadem ratione accusativus  
 positivus a parte praedicati supponit pro supposito, et cum illud non  
 generet sequitur quod qua ratione conceditur quod ‘Deus generat  
 785 Deum’, eadem ratione concedetur quod ‘Deus non generat Deum’, et

C 64va

---

763 Praeterea] vel *add. sed del. C* 764 vel<sup>3</sup>] singularis *add. sed del. C*

---

759 De Trinitate] AUGUST., *De Trin.*, I, c. 1 (CCL 50, 28; PL 42, 820): Nulla res est quae se ipsam gignit ut sit. 772 dixit Magister] Cf. PETRI LOMBARDI, *Sent. in IV Libris Dist.*, I, d. 8, c. 6 (ed. I. BRADY, I, p. 100): Ecce, si subtiliter intendas, ex his atque praedictis aperitur illa praedicamenta artis dialecticae Dei naturae minime convenire; eiusdem, I, c. 19, c. 7, n. 1 (ed. I. BRADY, I, p. 165): Cum dicamus tres personas unam esse essentiam vel substantiam, neque ut genus de speciebus, neque ut speciem de individuis praedicamus; non enim essentia divina genus est et tres personas species, vel essentia divina species et tres personae individua.

per consequens qua ratione una est vera, eadem ratione reliqua est vera. Sed hoc est falsum, quia tunc contradictoria essent simul vera. Et consequentia probatur, quoniam in singularibus non refert praeponere vel postponere negationem toti. Sed istae duae contradicunt ‘Deus generat Deum’, ‘non Deus generat Deum’, quia non potest verius assignari contradictorium alicuius nisi praeponendo negationem toti. Sed cum ista ‘Deus non generat Deum’ et ista ‘non Deus generat Deum’ aequivalent per illam regulam allegatam. Cum iste terminus ‘Deus’ sit singularis, sequitur propositum, sicut apparet in istis ‘Sortes currit’, ‘non Sortes currit’ seu ‘Sortes non currit’; quare etc.

**58.** Praeterea, si Deus generat Deum, sequitur quod Deus a Deo differt, et per consequens sunt duo dii. Consequens est contra symbolum quod dicit ita “Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, et non tres dii sed unus est Deus.” Sed consequentia probatur a simili: nam sequitur ‘homo generat hominem, ergo homo ab homine differt’. Probo istam consequentiam, quia sequitur ‘iste generat istum’, demonstratis Sorte et Platone, ‘ergo iste ab isto differt’. Et sequitur ‘iste ab isto differt’, et per utrumque terminum demonstrativum demonstratur homo, ‘ergo homo ab homine differt’, et per consequens sunt plures homines, ergo sequitur formaliter ‘si Pater generat Filium, sequitur quod Pater a Filio differt’; et cum quilibet illorum sit Deus, sequitur quod Deus a Deo differt, et per consequens sunt plures dii. Et prima consequentia patet quoniam arguendo ab inferiori ad superius negatione postposita, vel aequivalenter se habente cum constantia utriusque extremi, consequentia semper est bona, ut patet per regulam generalem. Sed ita est in proposito, et per consequens sequitur ista est impossibilis ‘Deus generat Deum’, et illa est sequens ex conclusionibus; ergo et huiusmodi conclusiones sunt impossibiles; quod erat probandum.

**59.** Secundo sequitur quod Deus spirat Deum, quod similiter videtur impossibile, quod aliquibus mediis declaratur. Primo sic: si Deus spirat Deum, cum omnis spiratio sit productio, sequitur quod Deus producit Deum; aut ergo naturaliter, aut contingenter. Sed nec sic nec sic, ergo propositum. Consequentia patet. Et minor pro qualibet sui parte probatur. Et primo: quo quod non naturaliter, quoniam omnis productio naturalis est ratione conservationis speciei, ut patet per Philosophum, I *De anima*.]

C 64vb

**60.** Et potest confirmari, quoniam productio naturalis intenditur a natura, vel ratione speciei vel ratione individui. Non ratione individui, quia illud ex natura propria non est multiplicabile, cum ex se includat duplicem negationem dependentiae, et per consequens est

---

822 per Philosophum] Cf. ARIST., *De anima*, I ???

ratio simpliciter incommunicabilis. Si ergo ratione speciei, hoc non videtur nisi ubi individuum sit corruptibile. quod sic probatur, quoniam ratio specifica in unoquoque individuo aequaliter salvatur.  
 830 Ubi ergo individuum ex ratione propria habet perpetuum existere, sequitur quod ratione conservandae speciei non est necessaria productio naturalis.

**61.** Cum igitur in divinis sit unum suppositum necessarium, sequitur quod in eo salvatur perfectissime ratio deitatis, et illud sit  
 835 aeternum, quare ibi non videtur necessaria productio naturalis. Nec etiam potest dici quod Deus contingenter producat Deum, quia tunc Deus posset non esse, quod videtur absurdum. Et consequentia probatur, quoniam quodlibet contingenter productum potest non esse; talis esset Deus productus; quare propositum.

**62.** Praeterea, si Deus spirat Deum, ergo sequitur quod est Deus spirans et Deus spiratus, et per consequens sunt duo quorum quodlibet est Deus. Consequens est falsum, ergo et antecedens. Consequentia patet; sed falsitas consequentis probatur, quia quaecumque sunt duo, ab invicem distinguuntur; sed talia non distinguuntur; ergo  
 845 propositum. Probatio minoris, quia talia aut distinguuntur finite, aut infinite. Sed nec sic nec sic; ergo etc. Probo istam minorem, quia si finite, ergo quodlibet ipsorum est finite. Consequentia probatur quoniam distinctionis finitas oritur ex finitate extremorum. Ubi ergo aliqua finite distinguuntur, sequitur quod ipsa sunt finita, et per  
 850 consequens aliquid quod est Deus est finitum, quod videtur absurdum. Nec infinite; quod probatur, quoniam aliqualis distinctio arguit aliquarum naturarum distinctionem, et maior distinctio perfectionum naturarum distinctionem, et sic in infinitum. Ergo ubi inter aliqua esset infinita distinctio, illa essent quiditatum infinitarum, et per consequens  
 855 essent duae infinitae quiditates, quare duo dii, quod videtur communiter non concessum.

**63.** Et confirmatur ratio, quoniam si minor distinctio arguit quiditativam distinctionem, a fortiori et maior; sed minor distinctio infinita arguit quiditativam distinctionem, ut patet de homine et  
 860 angelo; ergo a fortiori infinita distinctio arguit quiditativam distinctionem. Si ergo talia infinite distinguuntur, sequitur propositum.

**64.** Praeterea, si Deus spirat Deum, aut ergo Deus spiratus spirat Deum,] aut non. Si sic, eadem ratione quaeram de alio, et sic erit  
 C 65ra  
 865 processus in infinitum. Si non, ergo sub aliqua perfectione competit deitas Deo spiranti sub qua non competit Deo spirato, et per consequens Deus spirans et Deus spiratus non sunt eiusdem perfectionis; quare sequitur quod alter illorum non est Deus. Et prima consequentia probatur, quoniam quaecumque aliqua ratio est aliquibus communis, si illa omni modo quo competit uni competit

alteri et non e converso, sequitur quod uni competit perfectius quam 870  
 alteri. Sed dato quod Deus spiraret Deum, ita esset. Quod probo,  
 quoniam deitas competeret uni aliquo modo perfectionis quo non  
 alteri; ergo propositum. Probatur minor, quoniam aliquam rationem  
 alicui active competere dicit perfectionem, nam ex hoc Deus  
 omnipotens dicitur, quia ratio activitatis respectu alicuius dicit 875  
 perfectionem, et respectu duorum, ceteris paribus, maiorem  
 perfectionem; ergo respectu omnium infinitam. Et sic ponitur  
 omnipotentia in Deo ratione infinitae perfectionis. Si ergo spirare  
 ponitur in uno et non in alio, sequitur quod aliqua perfectio uni  
 competit quae non competit alteri, vel saltem unica realitas uni 880  
 perfectius competit quam alteri; quare propositum.

**65.** Praeterea, si Deus spirat Deum, aut se Deum, aut alterum  
 Deum; sed nec sic nec sic; ergo propositum. Consequentia patet.  
 Probatur minor, quoniam non se ipsum, quia tunc eadem res se ipsam  
 in esse produceret, quod videtur absurdum. Nec alterum, quia sic 885  
 essent duo dii, quod est absurdum.

**66.** Si dicatur, sicut dicit Magister, distinctione 5 I libri, de  
 generatione quod Deus nec generat se Deum nec alterum Deum, et  
 tamen generat Deum, contra: per primum principium “de quolibet  
 affirmatio vel negatio et de nullo eorum simul;” sed ista sunt 890  
 contradictoria se Deum et non se Deum; ergo de necessitate inter ea  
 non est dandum medium, aliter contradictio non esset immediata  
 oppositio, quod est contra Philosophum, I *Posteriorum*. Et tunc sic:  
 Deus spirat Deum, aut ergo se Deum, aut non se Deum. Si concedatur  
 ista, tunc sic: omnis contradictio praesupponit semper positivam 895  
 repugnantiam ex qua oritur; sed nulla in proposito videtur nisi relativa,  
 quoniam non contraria nec privative opposita nec disparata; ergo  
 relative opposita, et per consequens gignere non se Deum oritur ex  
 gignere alterum Deum, sicut apparet in omnibus aliis; quare etc.

**67.** Tertio sequitur quod Deus generat et generatur, spirat et 900  
 spiratur, quod similiter videtur impossibile. Quod aliquibus mediis|

895 semper] potentiam *add. sed del.* C

**887** dicit Magister] Cf. PETRI LOMBARDI, *Sent. in IV Libris Dist.*, I, d. 4, c. 2, n. 4 (ed. I. BRADY, I, p. 80): Quod ita intelligi potest: id est de se alterum genuit, non utique alterum Deum, sed alteram personal; vel genuit se alterum, id est genuit alterum qui est hoc quod ipse.

**889** de...890 simul] ARIST., *Metaph.*, IV, c. 3 (AL XXV-3, 73; Γ, c. 3; 1005b 19-24); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 123: Prima dignitas est de quolibet affirmatio vel negatio, alias de quolibet esse vel non esse et de nullo simul. **893** Philosophum] ARIST., *Anal. Post.*, I, c. 2 (AL IV-1, 8; A, c. 2; 72a 12-13): Contradictio autem est oppositio cuius non est medium secundum se.

declaratur. Et primo sic: unicus est tantum Deus, signetur per *a*. Tunc sic: '*a* est generans, *a* est genitum; ergo generans est genitum'; ergo per consequens idem se ipsum generat. Et similiter arguitur de spirare,  
 905 quae omnia videntur impossibilia. Quod sic patet, quoniam syllogizmus expositivus est omnium syllogizmorum efficacissimus. Nunc arguo sic: 'hoc generat, hoc est genitum; ergo generans est genitum'.

**68.** Si dicatur, sicut communiter dicitur, quod hoc verificatur pro  
 910 diversis suppositis, ideo consequentia non valet cum per istum modum periret omnis ars demonstrandi, quoniam si argueretur sic, semper demonstrando Platonem, 'hic est Plato, hic est Sortes, ergo Sortes est Plato', posset negari consequentia reddendo similem causam. Ergo vel materia est impossibilis, vel forma non est generaliter bona; sed  
 915 intellectui non consonat quovis modo formas non esse bonas; ergo materia est impossibilis, quod erat propositum.

**69.** Praeterea, si de aliquo vel aliquibus verificantur generans et genitum, de eisdem verificantur contradictoria. Sed impossibile est de re simplicissima verificari contradictoria; ergo impossibile est de re  
 920 simplicissima verificari generans et genitum. Consequentia patet et minor, aliter contradictoria essent simul vera, quod quaelibet secta abhorret. Et maior probatur, quoniam omnis distinctio arguit contradictoria; sed generans et genitum arguunt distinctionem; ergo et oppositionem sive contradictionem, et per consequens ubi non est  
 925 contradictio, ibi nulla distinctio, et ubi nulla distinctio, ibi nulla productio, et ubi nulla productio, ibi non sunt generans et genitum. Quare cum in simplicissima substantia nulla sit contradictio, sequitur per consequens quod ibi non est generans et genitum; quod est propositum..

**70.** Praeterea, si alicui naturae creatae repugnat, propter suam simplicitatem, producere et produci, a fortiori supremae substantiae quae est simplicissima. Sed de facto angelicae naturae, immo et animae intellectivae, repugnat producere et produci, hoc est se vel sibi  
 930 aequale; ergo a fortiori et divinae substantiae. Probo minorem, quoniam omnis operatio animae vel est intellectio vel volitio; sed non est imaginabile quomodo per intellectionem produceret sibi simile, quia tunc infinites in die se ipsam produceret cum sic se intelligat et similiter se vult. Ergo cum non appareat alius modus operandi, habetur  
 935 propositum. Et istud nimis movebat philosophos quod prima intelligentia nullo modo de istis inferioribus curabat, cum totum suum exercitium esset circa intelligere.] et velle quae ex suis rationibus non

C 64va

---

906 syllogizmorum] exposito *add. sed del.* C

videntur potentiae exsecutive, sed potius actus immanentes; quare propositum.

**71.** Praeterea, si in divinis est generatio: aut univoca, aut aequivoca. Non aequivoca, cum in productionibus aequivocis semper 945  
 producens est nobilius producto, maxime ubi non est nisi unicum producens. Nec est univoca, quia in talibus producens et productum sunt eiusdem rationis. Sed constat quod formalia constitutiva talium suppositorum sunt primo diversa, quoniam sunt relationes oppositae, utpote paternitas et filiatio sive spiratio passiva et spiratio activa, quae 950  
 sunt relative opposita secundo modo relativorum. Quare ibi non est generatio univoca nec aequivoca, et per consequens nulla generatio; quod est propositum.

**72.** Quarto sequitur quod essentia deitatis nec generat nec generatur, nec spirat nec spiratur, et tamen Deus generat et generatur, 955  
 et spirat et spiratur, quae videntur impossibilia quod aliquibus mediis declaratur.

**73.** Primo sic: quodlibet quod est Pater Filii generat vel generatur; sed essentia est Pater Filii; ergo essentia generat vel generatur. Sed numquam cessavit generare, aliter esset mutata 960  
 intrinsece, cum generatio sit ad intra, sequitur quod semper generat. Consequentia patet, et maior videtur manifesta. Minor vero probatur, nam signo Patrem in divinis et arguo sic: 'hic Pater est Pater Filii, hic Pater est haec essentia; ergo haec essentia est Pater Filii'. Consequentia ista patet, quoniam ex opposito conclusionis cum altera 965  
 praemissarum infert oppositum alicuius praemissae. Nam sequitur: 'nulla essentia est Pater Filii, hic Pater est essentia, ergo hic Pater non est Pater Filii'; syllogismus in serio(?). Consimiliter probatur quod generatur, quoniam 'quilibet Filius Patris est genitus, sed divinitas est Filius Patris, ergo essentia est genita'. Consequentia et maior patent. 970  
 Et minor arguitur expository sic: 'hic Filius, demonstrando Filium in divinis, est Filius Patris; hic Filius est divina essentia; ergo divina essentia est Filius Patris'. Consequentia patet per similem modum sicut prius, et per consequens contradictionem includit quod Filius sit genitus, Pater generans, et quilibet istorum sit divina essentia; et 975  
 tamen ipsa nec generat nec generatur, nec spirat nec spiratur; quare propositum.

**74.** Praeterea, quodcumque sunt aliqua convertibilia simpliciter, de quocumque praedicatur unum illorum, de eodem praedicatur reliquum; sed in divinis generare et paternitas, generari et 980  
 filiatio sunt simpliciter convertibilia; ergo de quocumque praedicantur paternitas et filiatio, de eodem generare et generari. Et per consequens

C 65vb

quam ista est vera essentia est paternitas et filiatio, tamen ista est vera  
essentia generat et generatur. Consequentia patet, et similiter maior; et  
985 minor est communiter concessa a theologis; quare propositum.

75. Praeterea, quodlibet productum est productum a substantia  
vel ab accidente; sed Filius est productus; ergo Filius est productus a  
substantia vel ab accidente. Sed non est productus ab accidente cum  
hoc sonet imperfectionem; ergo a substantia. Sed non a substantia  
990 creata, ergo ab increata, et per consequens a divina essentia. Maior  
istius rationis patet per divisionem entis immediatam quod omne quod  
est, est substantia vel accidens, et per consequens non potest intelligi  
aliquod esse productum nisi a substantia vel ab accidente. Et minor est  
de se nota; quare propositum.

995 76. Praeterea, vel essentia divina est generans, vel non est  
generans. Si primum, habetur propositum. Si secundum contra:  
sequitur 'essentia divina non est generans, ergo essentia divina non est  
Pater'. Consequentia patet, quia ab uno convertibili ad aliud, sive  
affirmative sive negative, consequentia videtur optima. Ita est in  
1000 proposito, quoniam in divinis omne generans est Pater, et omnis Pater  
est generans. Et potest probari, quoniam tantum Pater est generans, et  
similiter tantum generans est Pater. Prima patet per suas exponentes  
quoniam est Pater est generans et nullus alius a Patre est generans;  
ergo etc. Similiter generans est Pater, et nullus alius a generante est  
1005 Pater; ergo etc. Et per consequens ab istis exclusivis ad universales de  
terminis transpositis est consequentia bona. Et ex prima sequitur quod  
omne generans est Pater, ex secunda vero quod omnis Pater est  
generans, et per consequens illi duo termini sunt simpliciter  
convertibiles. Quare sequitur quod si divina essentia non est generans  
1010 quod ipsa non est Pater.

77. Ex quibus apparet quod ex praemissis conclusionibus  
sequuntur conclusiones ex quibus tot inconvenientia videntur sequi,  
quare et ipsae sunt inconvenientes. De aliis duabus conclusionibus  
quae videntur sequi, videlicet de principio elicitive et termino formali  
1015 divinarum productionum, non dicam ad praesens propter vitandam  
prolixitatem, sed pro nunc convertam me ad aliquam praedictis  
rationibus satisfaciendum.

**<Contra rationes supra dictas>**

78. Pro responsione igitur ad illas rationes praemitto quasdam  
1020 regulas necessarias ad solutionem paralogizmorum in divinis. Ad quas  
venandum primo est videndum de nominum idvinorum generali  
divisione; secundo de ipsorum significatione, tertio de ipsorum  
suppositione, et quarto de ipsorum syllogizatione.

**79.** Quantum ad primum tendendum est pro regula quod nomina, quae de Deo dicuntur, sub numero quaterdenario reducuntur. Quorum  
 C 66ra sufficientia potest sic haberi quod nominum divinorum quaedam sunt  
 propria, et quaedam translativa seu per similitudinem dicta. Verbi  
 gratia de secundo membro, ut splendor, lux character et similia.  
 Nomina vero propria quaedam dicuntur de Deo sub propria ratione  
 accepto, quaedam de ipso in ordine ad creaturas. Nominum quae de  
 Deo dicuntur in ordine ad creaturas reperitur triplex differentia. 1030  
 Quedam enim dicuntur in ordine ad creaturas de possibili, ut  
 creativum, gubernativum et similia. Quedam in ordine ad ipsam  
 creaturam per aliquod opus speciale, ut homo mortalis et similia, quae  
 Deo competunt ratione communicationis idiomatum; quaedam in 1035  
 ordine ad omnes creaturas generaliter respectu actualis existentiae  
 ipsorum ut sunt dominus, refugium, Creator et similia. Nominum vero  
 quae de Deo dicuntur sub propria ratione, quadruplex differentia  
 reperitur: quaedam enim sunt essentialia, quaedam personalia,  
 quaedam notionalia et quaedam numeralia. Numeralia vero ut Trinitas, 1040  
 tria, pluralitas, plura et similia. Notionalia ut innascibilitas, paternitas  
 et similia. Personalia vero sunt in duplici differentia: quaedam sunt  
 communia et quaedam propria. Communia quaedam de omnibus  
 personis in plurali et de qualibet earum in singulari, ut persona,  
 suppositum et similia. Quedam quae non de omnibus personis 1045  
 dicuntur, sed de duabus tantum, ut spirator. Propria vero personalia, ut  
 Pater, Filius, donum. Essentialia vero sunt in triplici differentia.  
 Quedam per modum substantiae, ut essentia, Deus, qui est et  
 huiusmodi. Quedam per modum quantitatis ut immensus, aeternus,  
 infinitus et similia. Quedam per modum qualitatis ut bonus, sapiens, 1050  
 fortis et similia.

**80.** Et sic apparet quod sunt quatuordecim membra divisionis  
 nominum divinorum. Nam translativa capiunt unum; quae autem  
 dicuntur ad creaturas tria habemus quatuor quae vero de Deo in se  
 quatuor habemus octo. Sed essentialia capiunt tria, ecce 40. Similiter 1055  
 personalia capiunt tria ecce 14. Et sic patet generalis divisio nominum  
 divinorum..

**81.** Nunc de eorum significatione. Et loquor hic de  
 significatione, non per exclusionem cuiuscumque alterius, sed de  
 primaria impositione ipsorum. Pro quo sit ista prima regula quod 1060  
 omnia nomina translativa nisi capiantur appropriate dicuntur  
 aequaliter et singulariter de personis et essentia, nam omnes tres sunt

---

1039 quaedam<sup>2</sup>] quae C

---

1024 ad primum] Cf. supra n. 56.

una lux, non tres luces, et sic de aliis. – Secunda regula quod omnia  
 nomina dicta de Deo in ordine ad creaturas generaliter, sive de  
 1065 possibili sive de| inesse quidditates creaturarum exprimentia dicuntur C 66b  
 aequaliter et singulariter de divina essentia et personis, ut tres sunt  
 unus creator, gubernator et similia. – Tertia regula quod nomina dicta  
 de Deo in ordine ad creaturas specialiter per restorationis(?)  
 exercitium dicuntur de uno solo supposito, ut Filius est homo et  
 1070 similia. – Quarta regula quod nomina numeralia non dicuntur de  
 aliqua persona per se sed de omnibus simul et de essentia, ut personae  
 sunt Trinitas et non persona est Trinitas, essentia tamen est Trinitas. –  
 Quinta regula quod nomina notionalia non praedicantur de omnibus  
 personis nec de se invicem, exceptis duobus videlicet istis,  
 1075 innascibilitas et activa spiratio. Praedicantur tamen de divina essentia,  
 licet verba eis ex ratione propria correspondentia minime de divina  
 essentia praedicantur, ut generat, spirat, generatur, spiratur. – Sexta  
 regula: nomina personalia propria non praedicantur de omnibus  
 personis, hoc est quodlibet per se nec unum de alio, sed de divina  
 1080 essentia, licet verba eis correspondentia de ipsa non praedicantur. –  
 Septima regula: nomina personalia quae aequaliter omnem personam  
 respiciunt, praedicantur de personis pluraliter, licet non singulariter,  
 quamvis de unaquaque singulariter, ut Pater et Filius sunt personae,  
 non persona et similiter quilibet eorum est persona. – Octava regula:  
 1085 nomina personalia quae non omnes personas respiciunt, praedicantur  
 tantummodo singulariter de duabus personis et qualibet ipsa ... et nullo  
 modo pluraliter(?), ut Pater et Filius sunt spirator et non spiratores. –  
 Nona et ultima regula: quod nomina essentialia sive per modum  
 substantiae, sive per modum quantitatis, sive per modum qualitatis,  
 1090 dicuntur tantummodo singulariter de omnibus personis et essentia et  
 de qualibet ipsarum. Et sic patet qualiter significant nomina quibus  
 utimur de divinis.

**82.** Nunc de suppositione ipsorum terminorum est dicendum.  
 Pro quo pono aliquas regulas. Quarum prima est quod nomina  
 1095 translativa indifferenter supponunt pro essentia et pro personis, ut  
 patet de isto nomine lumen, de quo dicitur in symbolo: “lumen de  
 lumine.” Constat quod ibi non supponit pro essentia sed pro personis.  
 – Secunda regula: quod nomina quae de Deo dicuntur in ordine ad  
 creaturas connotantia possibilitatem vel actualitatem in creaturis,  
 1100 indifferenter supponunt pro essentia et pro personis, ut patet de  
 creatore, et sic de talibus. – Tertia regula quod nomina quae de Deo  
 dicuntur, specialiter in ordine ad creaturam per opus restorationis,  
 supponunt tantummodo| pro Filio Dei ut cum dicitur ‘homo est Deus’, C 66va

1093 de suppositione] Cf. supra n. 57.

li homo tatummodo supponit pro Filio Dei. – Quarta regula: quod nomina naturalia pro nulla persona supponunt, sed quandoque per personis ut ibi: *tres sunt qui testimonium dant in caelo* etc. – Quinta: quod nomina notionalia supponunt semper pro personis et similiter personalia, non pro essentia, maxime quando subiciuntur respectu verbi denominantis distinctionis ad intra. – Sexta: omnia nomina essentialia concretive sumpta, indifferenter supponunt pro essentia et pro persona, ut patet de istis nominibus Deus, aeternus, immensus et sic de aliis. – Septima et ultima: quod nomina essentialia abstractive sumpta supponunt tantummodo pro essentia, et maxime quando subiciuntur respectu verbi denominantis distinctionem ad intra, ut deitas, essentia et sic de similibus. Et sic apparet generaliter pro quibus supponunt termini quibus utimur in divinis, et tantum de isto tertio.

**83.** Sed nunc qualiter ex ipsis est syllogizandum. Pro quo pono aliquas regulas. Prima, et est communis quod ad debite syllogizandum ex propositionibus universalibus, requiritur quod huiusmodi propositiones universales sint regulatae per dici de omni vel de nullo, id est quod nihil sit sumendum sub subiecto de quo non dicatur praedicatum; vel si sit negativa, quod nihil sumatur sub subiecto a quo non removeatur praedicatum. Verbi gratia, iste modus arguendi non valet: ‘omnis homo praeter Sortem currit; Plato est homo; ergo Plato praeter Sortem currit’. Quoniam quaelibet praemissarum est vera, et conclusio est ... .. quia ibi universalis non regulatur per dici de omni vel de nullo. – Secunda regula: quod ad hoc quod ex singularibus propositionibus possit syllogizari, requiritur quod huiusmodi propositiones singulares sint convertibiles cum propositionibus universalibus de subiecto circumlocuto, ut verbi gratia sic arguendo ‘Sortes currit; Sortes est homo; ergo homo currit’. Requiritur quod illa ‘Sortes currit’ aequivaleat huic ‘omne quod est Sortes currit’; et simile de similibus iudicium habeatur. – Tertia regula: quod ad hoc quod propositiones syllogizantes sint debite ordinatae requiritur quod terminus medius non variat significationem vel suppositionem, sed semper uniformiter recipiatur. Ut si sic diceretur ‘omnis homo est substantia; species est homo; ergo species est substantia’. Constat quod est varia significatio et similiter suppositio termini medii, et ideo est fallacia aequivocationis penes tertium modum; nam ille terminus ‘homo’ primo sumitur personaliter, secundo simpliciter.

**84.** Ultimo est notandum quod sicut triplex est suppositio in terminis logicorum, ita est triplex respectu nominum divinatorum,

1106 tres...caelo] I Ioan. 5, 7. 1118 Sed nunc] Cf. supra n. 58-76.

1145 videlicet essentialis, personalis et notionalis qui nimis variant| suo C 66vb  
modo propositiones syllogizabiles in divinis, eo modo quo est in  
terminis logicorum. Sic igitur apparet de ipsis quatuor ad propositum  
requisitis.

1150 **85.** His igitur praemissis venio ad rationes. Et primo cum dicitur  
quod ex illis conclusionibus sequuntur aliquae propositiones  
impossibiles, ergo sunt impossibiles, conceditur consequentia et  
negatur antecedens. Ad probationem cum dicitur quod sequuntur illae  
quatuor propositiones quae videntur impossibiles, concedo quod  
sequuntur, sed nego quod sint impossibiles. Ad probationem primae  
1155 cum dicitur sequitur aliquis homo generat hominem et nullus est homo  
nisi unus solus, ergo aliquis homo generat se ipsum, et nullus est  
homo nisi unus solus, ergo aliquis homo generat se ipsum, ergo  
pariformiter aliquis generat Deum, et nullus est Deus nisi unus solus,  
ergo aliquis Deus generat se ipsum. Dico quod prima consequentia est  
1160 bona, et secunda nihil valet. Et ratio, quia in prima nulla est variatio in  
significatione huius termini 'homo', sed in secunda sic. Quoniam iste  
terminus 'Deus' in prima propositione supponit pro persona, in  
secunda vero pro natura, cum iste terminus 'Deus', iuxta sextam  
regulam considerationis suppositionis divinorum nominum, supponit  
1165 indifferenter pro persona et essentia. Et per consequens, iuxta tertiam  
regulam notabilis de modo syllogizandi, consequentia nihil valet  
propter variam acceptionem termini virtute cuius tenet talis modus  
arguendi; quare argumentum non multum concludit.

**86.** Ad secundum cum dicitur quod iste terminus 'Deus' vel est .  
1170 Ad secundum cum dicitur quod iste terminus 'Deus' vel est communis  
vel singularis, breviter dico pro materia argumenti quod iste terminus  
'Deus' non est proprie singularis eo modo quo est iste terminus  
'Sortes' sive 'Plato', quia iste terminus 'Sortes', prout est terminus  
discretus, significat unam rem singularem tam essentialiter quam  
1175 suppositaliter. Similiter iste terminus 'homo' significat tam res  
suppositaliter distincta quam etiam essentialiter. Et ideo iste terminus  
'Deus', licet significet plura supposita, non tamen plura essentialiter  
distincta. Convenit ergo in aliquo cum utroque, et differt ab eisdem.  
Convenit in hoc cum termino singulari quia significat unam naturam  
1180 singularissimam, et differt ab eo in hoc quod significat tria supposita.  
Similiter convenit in hoc cum termino communi, quia significat plura  
supposita, et differt ab eo quia non significat plures singulares naturas.

---

1182 significat] pro *add. sed del. C*

---

1149 Et primo] Cf. supra n. 55. 1163 sextam regulam] Cf. supra n. 82. 1165 tertiam  
regulam] Cf. supra n. 83. 1170 Ad secundum] Cf. supra n. 56.

Et ideo nec est proprie terminus communis ad modum philosophorum, nec discretus similiter. Et ideo non sequitur si haec sit impossibilis ‘Sortes generat Sortem’, prout ille terminus capitur discrete, quod  
 C 67ra haec similiter sit impossibilis, quia non est| similitudo omnimoda in terminorum condicione. Unde alias vocavi ipsum terminum singularem de modo communitatis, vel terminum communem de modo singularitatis. Et si non placet nomen, saltem ita est quod non est nec proprie singularis nec proprie communis; quare etc.

**87.** Ad tertium cum dicitur: quaero pro quod supponit subiectum istius propositionis ‘Deus generat Deum’, dicitur breviter quod supponit pro supposito Patris. Et tunc cum dicitur eadem ratione accusativus positus a parte praedicati supponit pro supposito, conceditur. Et tunc cum dicitur quod cum tale suppositum non generat, qua ratione conceditur quod ‘Deus generat’, eadem ratione quod ‘Deus non generat’. Sed ista videtur contradictio, cum in singularibus non refert praepone vel postponere negationem. Dico hic pro materia argumenti quod, ut prius dictum est, ille terminus non est proprie singularis nec communis. Et ideo ratione convenientiae cum termino communi possent istae duae concedi quod ‘Deus generat’, ‘Deus non generat’. Et similiter ratione convenientiae cum termino singulari possent negari. Verumtamen secundum bonam logicam, quia ille terminus potest dupliciter capi et negatio non praeponeitur, ideo illi propositioni correspondent duo sensus distinctivi: unus per modum convenientiae cum termino communi, et alius per modum convenientiae cum termino singulari. Et ideo sicut illa disiunctiva ex illis sensibus composita esset concedenda sic et propositio aequivalens. Tamen quandoque sancti propositionem huiusmodi negaverunt propter versuta argumenta hereticorum ... ..  
 ... simplices oviculas(?) Christi. Sic igitur apparet quod argumentum non multum concludit; quare etc.

**88.** Ad quartum cum dicitur quod si Deus generat Deum, sequitur quod Deus a Deo differt et per consequens sunt duo dii, sicut si homo generat hominem, sequitur quod homo ad hominem differt, ergo sunt duo homines. Dico breviter quod semper in istis argumentis supponitur quod iste terminus Deus sit terminus communis vel singularis, quod declaratum est non esse verum modo philosophorum. Unde si ille terminus ‘Deus’ sumatur ratione convenientiae cum termino singulari, negaretur ista ‘Deus a Deo’ differt quia tunc est sensus quod natura divina a natura divina differt, quod falsum est. Si

**1187** alias vocavi] Cf. PETRI DE CANDIA, ??? **1191** Ad tertium] Cf. supra n. 557 **1199** prius dictum] Cf. supra n. 86. **1213** Ad quartum] Cf. supra n. 58. **1218** declaratum est] Cf. supra n. 86.

vero sumatur ratione convenientiae cum termino communi, sic illa videtur vera 'Deus a Deo differt', quia sensus est suppositum a supposito differt, qui sensus verus est, et tunc consequentia negaretur sub isto sensu ergo sunt plures dii, sicut non valet sunt plura supposita, ergo sunt plures dii.

1225 **89.** Si quis vero vellet logice respondere, posset ipsam absolute concedere, cum ei convenientiam duorum sensus disiunctive, quorum alter est verus. Verumtamen quia theologus potius respicit materiam quam  
1230 formam, et in talibus propositionibus plerumque latet venenum hereticorum, consulo ut ad ipsas et similes sibi semper per distinctionem respondeatur, quoniam inimicus iudicatur scientiae qui propositiones distinguere vilipendit; quare propositum. Et sic apparet quod illa propositio, quae sophisticè monstrabatur impossibilis, est  
1235 necessaria absolute, videlicet Deus generat Deum.

**90.** Ad argumenta contra illam conclusionem cum dicitur quod tunc sequeretur quod Deus spirat Deum, concedo; et cum dicitur quod hoc est impossibile, nego. Et cum probatur quia si Deus spirat Deum cum omnis spiratio sit productio, sequitur quod Deus producit Deum, 1240 concedo totum. Et cum quaeritur, aut naturaliter aut contingenter, dico quod Deus producit Deum naturaliter et nullo modo contingenter; cum hoc tamen dico quod Deus libere producit Deum. Et cum dicitur quod non naturaliter, nego. Ad probationem quia omnis productio naturalis est ratione conservationis speciei, hic dico, pro materia argumenti et  
1245 ad mentem Philosophi, quod productio naturalis potest intelligi dupliciter. Uno modo pro productione distinctorum in natura et in supposito, sic quod generans et genitum differant essentialiter. Alio modo quod praecise sit differentia generantis et geniti suppositaliter tantum, et nullo modo essentialiter. Primo modo dico quod verum est  
1250 et sic intellexit Philosophus; secundo modo non est verum. Unde secundum imaginationem quorundam philosophantium, quaelibet intelligentia est trina saltem intentionaliter. Sed quia sic sonat esse aliquod diminutum et per consequens dicit imperfectionem, ideo in divinis est trinitas suppositorum realium cum unitate essentiali. Hoc  
1255 autem non provenit ex aliqua indigentia, sed potius ex infinita fecunditate utriusque principii productivi, intellectus videlicet et voluntatis; quare etc.

**91.** Ad secundum cum dicitur quod si Deus spirat Deum, tunc sequitur quod sunt duo quorum quilibet est Deus, concedo. Et cum  
1260 dicitur, quia tunc distinguuntur: aut ergo finite aut infinite, hic dico pro materia argumenti quod loquendo formaliter distinctio oritur ex parte proprietatum. Nunc ergo quia distinctio sequitur semper naturam

---

1236 cum dicitur] Cf. supra n. 59. 1258 Ad secundum] Cf. supra n. 62.

extremorum et penes illud habet quantificari, ideo quanta esset formaliter positiva ratio proprietatum, tanta esset distinctio. Nunc ergo, sicut recolo me dixisse in 2 articulo 2 quaestionis circa finem, triplex fuit opinio de condicione positiva proprietatum: quidam dixerunt quod ut sic nihil sunt, quidam quod ut sic aliquid erant sed tamen nec finitum nec infinitum, quia sunt ibi tantummodo transcenderent, quidam quod formaliter proprietates sunt infinitae. De prima opinione fuit magister Ioannis de Ripa, de secunda Doctor Subtilis, et de tertia dominus Petrus Aureoli. Primi et secundi dicerentur quod distinguuntur, et tamen nec formaliter finite nec formaliter infinite. Et ideo isti haberent concedere quod aliqua est distinctio quae nec est formaliter finita nec infinita. Isti ergo negarent divisionem esse immediatam formaliter. Tertio opinantes haberent concedere quod talia supposita infinite formaliter distinguuntur. Et ex hoc negaretur quod si est infinita distinctio quod sunt diversae naturae, quia tantitas distinctionis non arguit maiorem diversitatem in natura, sed potius qualitas. Verbi gratia, Sortes et Plato, quoad quantitatem distinctionis, plus differunt quam Sortes et asinus, sed non quoad qualitatem, quia una est specifica et altera tantummodo individualis.

**92.** Si quis tamen vellet aliter respondere, posset dicere sicut dicit refugium pauperum, videlicet Ochan quod infinite se ipsis distinguuntur, quia quante sunt tante conveniunt, et similiter tante distinguuntur. Et quia divina supposita infinita sunt, infinite conveniunt et infinite differunt. Et sic apparet quid ad illud argumentum dicendum.

**93.** Ad tertium cum dicitur si Deus spirat Deum, aut ergo Deus spiratus spirat, aut non. Dico breviter quod non, propter rationem assignatam superius in sexta conclusione. Et cum infertur, quia tunc aliqua perfectio inesset uni quod non alteri, hic dico quod hoc non sequitur. Et cum dicitur quod omne agere dicit perfectionem, et cum spirare sit tale, hic dico quod licet agere essentielle dicat, secundum aliquos, perfectionem, non tamen notionale, quia Pater ex hoc quod spirat non dicitur perfectior nec minus agere perfectus. Et cum confirmatur quod agere unum dicit perfectionem et duo, sic dico quod exemplum non est ad propositum, quoniam ibi sumitur li agere essentialiter et ex hoc inferre de notionali esset magna variatio argumenti. Verumtamen posset dici quod formaliter li agere non dicit perfectionem, quoniam non ad intra, ut patet. Quia tunc Spiritus Sanctus non esset aequo perfectus sicut Pater. Nec ad extra, cum

1265 recolo me] Cf. PETRI DE CANDIA, *Lectura in I Sent.*, q. 2, a. 2 ??? 1283 refugium pauperum] Unde origo ista sententia? 1288 Ad tertium] Cf. supra n. 64. 1290 sexta conclusione] Cf. supra n. 21-22.

aeternaliter Deus non producabat ad extra mundum; tamen etiam quia tale est creare quod praesupponit non-esse rei producendae, quare ratio non multum concludit. Et tamen Deo aeternaliter conveniebat  
 1305 quaelibet denominatio perfectionis simpliciter. Sic igitur apparet quid est ad illud argumentum dicendum.

**94.** Ad quartum cum dicitur quod Deus spirat Deum, ergo vel se Deum vel alium Deum, dico breviter quod nec se Deum nec alium Deum. Et ad probationem cum dicitur de contradictoriis quod illa sunt  
 1310 contradictoria se Deum, non se Deum, concedo, et per consequens oportet quod alterum illorum de quolibet verificatur, hic dico quod hoc est verum, sed non semper respectu cuiuscumque verbi. Unde ista sunt contradictoria incomplexa albedinem, non-albedinem, et tamen non oportet quod de quolibet verificetur alterum illorum. Nam pono  
 1315 quod nihil producas, tunc falsum est quod producis albedinem, et similiter falsum est quod producis non-albedinem. Et ideo non oportet quod respectu cuiuscumque verbi hoc sit verum. Eundo tamen ad rem, concederetur quod Deus spirat non se Deum. Et tunc cum dicitur quod omnis contradictio oritur ex aliqua repugnantia positiva, hoc forsitan  
 1320 negaretur, quia sufficit quod sit esse aliquid quod participat rationem entis qualitercumque est imaginabile, sive actualiter sive possibiliter sive imaginarie. Tamen adhuc hoc concessio non habetur illud quod argumentum intendit. Nam cum dicit: unde oritur quod generat non se Deum, dico breviter ex hoc quod Deus generat aliam personam, et non  
 1325 ex hoc quod generat vel spirat alium Deum sicut argumentum imaginatur; et sic apparet quod ratio non multum concludit.

**95.** Ad argumenta contra illam conclusionem quod tunc sequeretur quod Deus generat et generatur, spirat et spiratur, concedo. Et cum dicitur quod hoc est impossibile, nego, si sit copulativa,  
 1330 videlicet 'Deus generat et Deus generatur'. Si tamen esset de copulato extremo, utique verum esset; nam haec est impossibilis de copulato extremo 'Deus generat et generatur', quia sive supponat pro essentia sive pro persona, falsum est. Pro essentia manifestum est; pro persona similiter, quia nulla persona generat et generatur; quia non Pater ut  
 1335 apparet, nec similiter Filius, nec etiam Spiritus Sanctus.

**96.** Sed quia ad istum intellectum non vadit ratio, venio ad ipsam. Cum arguitur unicus est tantum Deus, sit *a*. Tunc sic: *a* generat, *a* est genitum, ergo generans est genitum. Hic quaero quid significatur per *a* et pro quo supponit? Si pro divina essentia, consequentia est bona, sed  
 1340 antecedens est falsum, quia per illud denotatur quod essentia generat et essentia generatur. Si pro persona, aut eadem demonstratur in

**1307** Ad quartum] Cf. supra n. 65.

**1318** cum dicitur] Cf. supra n. 66.

**1327** Ad

argumenta] Cf. supra n. 67. **1337** Cum arguitur] Cf. supra n. 67.

qualibet praemissarum, aut diversae. Si primo modo, adhuc consequentia est bona, sed antecedens est falsum, quoniam aequivalet huic ‘aliqua persona generat et illa eadem generatur’, quod falsum est. Si vero demonstrantur diversae, antecedens est verum et consequentia nihil valet. Sicut non sequitur ‘Pater generat, Filius generatur; ergo generans est genitum’.

**97.** Si vero dicatur quod sumitur ille terminus ‘Deus’ singulariter, adhuc non valet, quia demonstratio addita termino isti ‘Deus’, determinat ipsum ad essentiam tantum vel ad personam tantum, sic dicendo ‘hic Deus generat, hic Deus generatur’; quare propositum.

**98.** Ad secundum cum dicitur quod si de aliquo vel aliquibus verificantur generans et genitum de eisdem vel eodem verificantur contradictoria, hoc nego. Ad probationem cum dicitur quod omnis distinctio arguit contradictionem, sed generans et genitum arguunt distinctionem, ergo et contradictionem, dico quod si intelligatur quod termini contradictorii verificantur de generante et genito quia ista sunt vera ‘Pater generat’, et hoc similiter ‘Filius non generat’; sed generare et non-generare sunt contradictoria, ergo; concedo per istum modum. Et tamen ex hoc non habetur quod de quocumque dicitur generans et genitum quod de eodem dicuntur contradictoria. Contra: si de generante et genito dicuntur contradictoria, et generans et genitum dicuntur de divina essentia, ergo et contradictoria, nego istam consequentiam. Et ratio est, quia non oportet quod si Patri competat generare quod essentia competat generare, hoc est quod essentia generet. Nunc autem illud argumentum se fundat in hoc quod omne quod de Patre praedicatur, similiter praedicatur de divina essentia, quod nego. Nam quod generet dicitur de Patre et tamen nullo modo de divina essentia.

**99.** Et si DICATUR unde oritur ista diversitas? DICO quod ex aliqua non-identitate ex natura rei inter Patrem et essentiam, quoniam ibi videtur formalis distinctio. Ratione igitur realis identitatis verum est divinam essentiam esse Patrem ... .. formalis distinctionis oritur proprietati Patris aliquid praedicatum convenire quod minime de divina essentia praedicatur. Et sic apparet quod numquam de divina essentia contradictoria verificantur. Ochan tamen non habet pro inconvenienti concedere contradictoria de divina essentia praedicari, quia tamen dicit cogit fides. Sed salva reverentia, non videtur bene dictum, immo esset fidem nostram deridere, cum ad nihil maius inconveniens posset homo deduci quam concedere contradictoria. Si igitur fides nostra hoc

**1353** Ad secundum] Cf. supra n. 69. **1377** Ochan] Cf. GUIL. OCKHAM, *Scriptum in I Sent.*, d. 2, q. 2, ed. G. ETZKORN (OTh III, p. 371).

faceret de re simplicissima, sequitur quod esset inconvenientissima, quod impium est sentire; quare propositum.

1385 **100.** Ad tertium cum dicitur quod si alicui naturae proper suam  
simplicitatem repugnat producere et produci, a fortiori et supremae  
substantiae, sed de facto angelis et similiter animabus intellectivis hoc  
repugnat, dico pro materia argumenti quod productio alicuius  
essentialiter ab ipsis distincti eis repugnat naturaliter, et hoc modo  
1390 etiam repugnat divinae simplicitati. Sed eo modo quo nos ponimus  
productionem in divinis, nullo modo dicit imperfectionem. Unde et  
animae quasi intentionaliter habent huiusmodi productionem, sed ex  
imperfectione provenit quod sunt accidentia pro terminis productis et  
non subsistentia. Nunc vero in divinis, amoto omni eo quod dicit  
1395 imperfectionem, sequitur quod est ibi productio subsistentis ex  
subsistente, prout in probationibus conclusionum extitit declaratum;  
quare etc.

C 68rb

**101.** Ad quartum cum dicitur quod si in divinis est generatio, aut  
univoca aut aequivoca, hic dico breviter quod generationem fore  
aequivocam vel univocam potest sumi vel a termino formali  
1400 generationis, vel a termino totali. Verbi gratia, in generatione ignis,  
terminus formalis est ipsa forma per quam productum reponitur in  
esse specifico. Et tunc quando huiusmodi terminus formalis est  
eiusdem rationis specificae in producente et in producto, dicitur  
generatio univoca; et per oppositum dicetur de generatione aequivoca.  
1405 Si autem sumatur a termino totali, tunc est quando quodlibet  
concurrans ad constitutionem alicuius termini producti est eiusdem  
rationis cum quolibet concurrente ad rationem producentis, sicut  
apparet in productione hominis, si ita esset quod homo produceret  
animam intellectivam alterius, certum est quod animae producentis et  
1410 producti sunt eiusdem rationis et similiter materiae et omnia alia  
intrinsece requisita. Quare totus terminus totalis est univoce  
productus, et per oppositum esset de aequivoca.

**102.** Nunc vero applicando ad propositum: in Filio intelligimus  
filiationem et divinam naturam, et per consequens suppono quod  
1415 divina essentia est terminus formalis generationis. Cum igitur illa sit  
in Patre, videtur quod huiusmodi productio esset maxime univoca  
propter unitatem termini formalis. Et sic sumit generationem  
univocam Doctoris Subtilis, I *Sententiarum* distinctione 7. Et tunc  
dicitur ad argumentum quod est univoca. Et cum arguitur quod sunt  
1420 alterius rationis ipsa producta cum eorum formalia constitutiva sint

---

**1384** Ad tertium] Cf. supra n. 70.    **1397** Ad quartum] Cf. supra n. 71.    **1418** Doctoris Subtilis] IOANNIS DUNS SCOTI, *Ordinatio*, I, d. 7, q. 1, n. 48-49 (ed. Vaticana, IV, p. 127-128).

alterius rationis, breviter ista consequentia negaretur. Unde quamvis paternitas et filiatio sint alterius rationis, non tamen ipsa supposita. Sicut duae differentiae individuales se ipsis primo differunt et per consequens sunt alterius rationis, et tamen non sequitur ‘ergo talia individua sunt alterius rationis’.

1425

**103.** Et sic per istum modum solvitur argumentum. Si vero velimus vocare generationem univocam a termino totali, sic diceretur quod in divinis nec esset generatio univoca nec aequivoca, quia licet sit ibi convenientia ratione divinae naturae, est tamen differentia ratione relationum, quoniam paternitas et filiatio sunt alterius rationis, nam plus conveniunt duae paternitates ad invicem quam una paternitas et una filiatio simul. Nec est ibi productio aequivoca, quia ibi producens non est perfectius producto. Quare videtur quod si sumatur ratio univocationis in productione a termino totali, sic talis productio nec est aequivoca nec univoca, et sic sumit Ochan I *Sententiarum* distinctione 9.

1430

1435

C 68va

**104.** Et per hoc leviter responderetur ad argumentum cum quaeritur: talis generatio vel est aequivoca vel univoca, negaretur divisio cum non sit sufficiens ut apparet. Et ex his apparet quod inter Doctorem Subtilem et Ochan circa istam materiam est verbalis contentio cum unus sumit generationem univocam a termino formali, et alius a termino totali. Sic igitur apparet quid sit dicendum ad illud argumentum.

1440

**105.** Ad argumenta quartae conclusionis cum dicitur quod tunc sequeretur quod divina essentia nec generat etc., concedo; et cum dicitur quod hoc est impossibile, nego. Ad probationem cum dicitur quodlibet quod est Pater Filii generat vel generavit, hic dico pro materia argumenti quod iste terminus ‘Pater Filii’ potest teneri adiective vel substantive. Si teneatur adiective, falsa est; si vero substantive, vera est. Unde sensus illius propositionis si teneatur adiective est quod essentia genuit Filium et ex hoc est Pater Filii, et ideo negatur sub isto sensu. Si vero teneatur substantive, sensus est quod essentia est aliquid quod est Pater Filii; et iste sensus verus est. Et per hoc patet ad argumentum cum assumitur quodlibet quod est Pater Filii vel generat vel generavit. Si sumatur substantive falsa est illa maior, et minor et consequentia concedenda. Si vero adiective utrobique, videlicet tam in maiori quam in minori, concederetur maior et consequentia ... .. Si vero caperetur in una substantive et in alia

1445

1450

1455

**1435** Ochan] GUIL. OCKHAM, *Scriptum in I Sent.*, d. 9, q. 2, art. 2, ed. G. ETZKORN (OTh III, p. 280-281). **1444** cum dicitur] Cf. supra n. 72. **1446** Ad probationem] Cf. supra n. 73.

adiective consequentia nihil valeret sed esset fallacia accidentis ex  
1460 variatione medii.

**106.** Ad secundum cum dicitur quod quodcumque aliqua sunt  
convertibilia, de quocumque unum illorum dicitur, de eodem et  
reliquum, hoc admitto. Et cum dicitur quod generare et paternitas sunt  
convertibilia, ergo si paternitas dicitur de essentia, et generare, hic  
1465 dico breviter pro materia argumenti quod iste terminus 'generare'  
potest sumi ex usu grammaticali verbaliter vel nominaliter. Sicut  
dicimus 'amare est bonum', ibi sumitur nominaliter; similiter cum  
dicimus 'volo amare bonum', ibi sumitur verbaliter. Si capiatur  
nominaliter, sic conceditur quod essentia est generare, quia tunc  
1470 sensus est essentia est generatio quae vera est, sicut essentia est  
paternitas. Si vero caperetur verbaliter, sic falsum est quod generare  
dicatur de essentia, quia essentia nec generat nec generatur. Et sic non  
oportet quod quodlibet verbum quod de Patre dicitur, similiter de  
divina essentia dicatur. Et ratio est, quia propter appositionem diversi  
1475 suppositi variatur significatio propositionis; quare etc.

**107.** Ad tertium, cum dicitur quod quodlibet productum est  
productum a substantia vel ab accidente, dico breviter quod illa  
propositio, sicut iacet in forma, potest negari. Et cum dicitur quod  
omne quod est, est substantia vel accidens, sit ita in nomine Domini.  
1480 Ex hoc tamen non habetur quod quodlibet productum sit productum a  
substantia vel ab accidente. Verumtamen potest ista sic concedi quod  
quodlibet productum est productum ab aliquo quod est substantia, vel  
ab aliquo quod est accidens, et ista propositio est vera. Sed prima  
negatur universaliter, cum ibi fit comparatio termini notionalis ad  
1485 terminum essentialem per terminum distinctum quod est producere. Et  
sic per consequens propositio illa sub forma illa non est concedenda;  
quare propositum.

**108.** Ad quartum cum dicitur quod essentia est generans vel non  
est generans, hic dico, ut superius dixi, distinguendo illum terminum  
1490 generans ex eo quod potest teneri adiective vel substantive. Si  
teneatur adiective, concedendum est quod essentia non est generans,  
sed tunc non sequitur 'ergo essentia non est Pater', sicut non sequitur  
'essentia non generat ergo essentia non est Pater'. Unde cum ille  
terminus tenetur adiective, denotatur actum generationis ab essentia  
1495 egredi tamquam actus a producente, et sic non est verum. Si vero  
teneatur substantive, negatur illa propositio quod 'essentia non est  
generans'. Et ex illa sub isto sensu bene sequitur ... ..  
substantive sumitur est iste 'essentia non est generans', id est non est

C 68vb

**1461** Ad secundum] Cf. supra n. 74.      **1476** Ad tertium] Cf. supra n. 75.      **1488** Ad  
quartum] Cf. supra n. 76.      **1489** superius dixi] Cf. supra n. 105.

aliquid cui competat generare, quod falsum est. Sic igitur apparet qualiter est ad illud argumentum sub distinctione dicendum; quare propositum. 1500

**109.** Ex his igitur patet etiam qualiter est respondendum ad istos syllogizmos qui videntur expositorii: ‘hic Pater generat, hic Pater est essentia, ergo essentia generat’. Similiter ‘hic Filius generatur, hic Filius est essentia, ergo essentia generatur’. Constat ex praedictis quod si huiusmodi propositiones singulares debent esse praemissae debitaee in syllogizmo, requiritur quod aequivalenter se habeant ad propositiones universales de subiectis circumlocutis. Nunc autem ista falsa est ‘omne quod est hic Pater generat’, quoniam Filius est aliquid quod est hic Pater, et tamen Filius non generat. Et sic apparet quod illae propositiones singulares non sunt ex propria forma natae fore praemissae syllogizmi expositorii. Et de similibus simile iudicium habeatur. Per hoc etiam iste modus arguendi non valet ‘omnis Pater generat, essentia est Pater, ergo essentia generat’, quia illa universalis non est regulata per dici de omni. Ad hoc enim quod syllogizmus valeat, oportet, ut dictum est, quod propositiones universales sunt regulabiles per dici de omni, cuiusmodi non est in proposito. 1505 1510 1515

**110.** Et si DICATUR quod semper ad veritatem propositionis universalis affirmative requiritur quod de quocumque dicitur subiectum quod de eodem dicitur praedicatum, et per consequens quaelibet universalis affirmativa est regulata per dici de omni, hic DICO quod hoc non est universaliter verum, maxime si subiectum universalis dicitur in comparatione ad suum praedicatum vel restringitur per aliquod syncategorema. Verbi gratia, sit quod nulla mulier currat et quod quilibet masculus currat, certum est quod ista consequentia non valet quilibet homo currit, mulier est homo, ergo mulier currit, et tamen illa est universalis et de aliquo dicitur subiectum de quo non dicitur praedicatum propter causam dictam. Et ita non oportet quod in proposito sit verum. Sufficit mihi, quantum ad hoc, quod aliqua est universalis vera cuius subiectum de aliquo dicitur a quo negatur praedicatum; quare etc. 1520 1525 1530

**111.** Dicebatur superius arguendo contra conclusiones quod sequebatur quinto ex quo ibi erat productio per modum intellectus et voluntatis quod esset in divinis ad intra principium elicitivum. Et consimiliter ex eodem sexto sequebatur quod ibi esset aliquis terminus formalis illarum productionum quae tamen non videtur vera ... pro 1535

---

1516 universales] *scrip. pos. regulabiles sed corr. signis transp. C*

---

1502 est respondendum] Cf. supra n. 76. 1533 sequebatur quinto] Cf. supra n. ??? 1535 ex...sexto] Cf. supra n. ???

ipsorum declaratione nihil praesumptuose volo dicere nisi praecise aliquas conclusiones quas iuxta mentem Doctoris Subtilis ponere huius materiae declarativas quae sive sint verae sive falsae non curo  
 1540 multum, sed solum in hac materia ostendere mentem suam. Pro quo prout possum ex diversis quaestionibus suis colligere, pono novem conclusiones quas declarabo breviter, et finaliter dicam fundamentum suae imaginationis.

<Conclusio 1>

1545 **112.** Sit ergo ista prima conclusio: aliqua ratio in divinis absoluta formaliter est ad intra elicivum principium cuiuslibet emanationis activae. Haec conclusio sic probatur: quaelibet actio est elicita, sed quaelibet emanatio activa ad intra est actio, ergo quaelibet talis est elicita. Consequentia et maior patet; et minor ex hoc,  
 1550 quoniam secundum omnes emanationes ad intra distinguuntur in activas et passivas. Et tunc ultra: quaelibet emanatio ad intra est elicita, vel ergo a se vel ab alio. Non a se, manifestum est. Si ergo ab alio, cum illud non sit filiatio nec spiratio-passio, sequitur per sufficientem divisionem quod est aliqua ratio absoluta formaliter,  
 1555 quod est propositum.

C 69rb

<Conclusio 2>

**113.** Secunda conclusio est haec: nulla ratio in divinis respectiva formaliter est elicivum principium alicuius emanationis activae. Haec conclusio sic probatur: quoniam si paternitas esset principium  
 1560 elicivum alicuius emanationis activae, vel ergo sui ipsius, vel spirationis-activae. Non sui ipsius, quia sic se ipsam eliceret, quod non videtur verum, quia tunc esset sui ipsius principium, saltem quo. Nec spirationis-activae, quia cum illa sit alterius rationis a paternitate, sequitur quod paternitas esset perfectior spiratione-activa; sed  
 1565 consequens est falsum, ergo et consequentia. Patet, quia quandocumque unum se habet per modum principii respectu alterius, nec aliud concurrat, semper nobilius est principium principiato. Sed si paternitas est principium elicivum spirationis-activae, habet praedictam condicionem respectu spirationis-activae; ergo  
 1570 propositum. Et per consequens sequitur quod nullo modo est elicivum principium alicuius emanationis activae. Et qua ratione dicitur de paternitate, eadem ratione de qualibet alia relatione; ergo conclusio vera.

<Conclusio 3>

1575 **114.** Tertia conclusio est haec: divina essentia absolute considerata non est formaliter immediatum elicivum principium productionis ad intra. Haec conclusio sic probatur, quia si essentia

esset immediatum et proximum principium elicitivum sub ratione  
essentiae, aut igitur generationis, aut spirationis. Non generationis,  
quia quod est ex se indifferens respectu duorum, non plus est unius 1580  
quam alterius. Sed divina essentia sub praecisa ratione essentiae non  
plus respicit generationem quam spirationem; ergo propositum.

**115.** Si ergo dicatur quod est indifferenter utriusque, tunc nulla  
videtur distinctio inter generationem Filii et productionem Spiritus  
Sancti. Quod sic probatur, quoniam si formale principium aliquorum 1585  
productorum est idem formaliter, sequitur quod productiones ipsorum  
sunt eiusdem rationis; sed ita esset, data illa responsione; ergo etc.  
quod videtur falsum.

<Conclusio 4>

**116.** Quarta conclusio est haec: ratio formalis fecundae 1590  
memoriae est immediatum elicitivum principium aeternae generationis  
activae. Haec conclusio sic probatur, quoniam intellectus habens  
obiectum intelligibile sibi praesens, ex hoc gignit notitiam sui, quia  
exprimit sibi se ipsum. Sed huiusmodi exprimere est quoddam dicere,  
et huiusmodi dicere nil aliud est quam generatio activa. Ergo 1595  
intellectus huiusmodi elicit suum dicere. Cum igitur| memoria fecunda  
nil aliud sit quam intellectus habens perfecte obiectum intelligibile  
sibi praesens, sequitur quod memoria fecunda est immediatum et  
proximum principium eliciendi generationem activam aeternam; quare  
propositum. 1600

<Conclusio 5>

**117.** Quinta conclusio est haec: principium elicitivum formaliter  
activae spirationis est voluntas infinita habens sufficienter praesentiam  
obiecti volibilis adaequati. Haec conclusio sic probatur: aliquid est  
principium elicitivum emanationis activae per primam conclusionem, 1605  
aut ergo absolutum, aut respectivum. Non respectivum per secundam  
conclusionem, ergo absolutum. Vel ergo divina essentia sub praecisa  
ratione essentiae, et hoc non per tertiam conclusionem; vel intellectus  
habens obiectum intelligibile sibi praesens sufficienter; vel voluntas.  
Non intellectus, quia illud est principium mere naturale; ergo voluntas, 1610  
quod est propositum.

**118.** Et potest aliunde confirmari, nam sicut intellectus elicit  
suum dicere respectu notitiae genitae, ita et voluntas elicit suum  
spirare respectu amoris producti. Et per consequens quam primum est  
elicitivum principium respectu dicere, tam et secundum respectu 1615  
spirare; quod est propositum.

1605 per primam] Cf. supra n. 112. 1606 per secundam] Cf. supra n. 113. 1608 per  
tertiam] Cf. supra n. 114.

119. Et ex hoc apparet quodammodo quod actus notionales fundantur super actibus essentialibus. Et in hoc conveniunt isti tres doctores, videlicet Henricus de Gandavo, beatus Thomas et Doctoris Subtilis. Sed in modo ponendi est aliqualis controversia inter eos quae declarabitur in imaginatione positionis.

<Conclusio 6>

120. Sexta conclusio est haec: omnes relationes originis quamvis non omnes taliter sint productae. Ista conclusio quoad primam partem patet, quoniam si relationes originis activae sunt elicited, a fortiori et passivae. Sed activae sunt elicited ut apparuit per praedicta, ergo a fortiori passivae, et per consequens omnes. Quoad secundam similiter patet, quoniam paternitas est relatio penitus improducta, aliter Pater esset ita verae productus sicut Filius, quod falsum est. Similiter spiratio-activa est improducta, quia nihil quod est in Patre formaliter est productum, et per consequens illud est manifestum.

121. Pro quo advertendum est quod aliquid esse elicited potest intelligi duobus modis. Uno modo idem est quod productum, et sic dicimus quod Sortes elicited actum meritorium, et isto modo emanationes activae, utpote generatio-actio et spiratio-actio non sunt elicited. Alio modo dicitur elicited illud quod natum est denominare aliquid esse producens, sicut dicimus quod calefactio est ab igne elicited, mediante qua dicitur ignis calefaciens sive agens. Et isto modo elicited non dicitur productum. Et hoc modo generatio-passio et spiratio-passio non dicerentur elicited, quia per ipsas nihil ad intra formaliter denominatur producens; sed isto modo tantum emanationes activae dicuntur elicited. Sic ergo apparet quando dicitur quod omnes relationes originis sunt elicited, quod ibi iste terminus 'elicited' diversimode est acceptus. Et sic non ea ratione dicitur elicited de emanationibus activis et passivis.

<Conclusio 7>

122. Septima conclusio est haec: nulla ratio formaliter respectiva est formalis terminus generationis vel originis spirative. Haec conclusio sic probatur: quoniam quaelibet productio denominatur talis vel talis ex termino formali productionis. Si ergo in huiusmodi productionibus divinatorum formalis terminus sit ratio formaliter respectiva, sequitur quod huiusmodi productio potius erit adaliquatio quam generatio. Quod confirmo, quoniam in productione qualitatis terminus formalis est ipsa qualitas. Ideo eius productio non dicitur generatio, sed potius qualificatio sive alteratio, et in productione substantiae generatio. Ergo si terminus formalis alicuius productionis

1641 formaliter denominatur] *inv. sed corr. signis transp. C*

sit pura relatio, talis productio erit adaliquatio. Sed constat quod in divinis est vera generatio iuxta professionem symboli: “genitum non factum,” ergo ibi non est ratio respectiva terminus communis formalis.

<Conclusio 8>

1660

**123.** Octava conclusio est haec: divina essentia est formalis terminus utriusque originis illativae. Haec conclusio sic probatur, ille est formalis terminus alicuius productionis per quem productio formaliter capit esse ... .. ; sed per divinam essentiam suppositum productum capit esse formaliter; ergo divina essentia est formalis terminus talis productionis. Consequentia et maior patent. Et minor apparet, quia suppositum productum ratione proprietatis non habet ut sit immensum, sed ratione divinae essentiae.

1665

**124.** Et potest aliunde confirmari, nam Salvator ait: *quod dedit mihi Pater maius omnibus est*. Cum igitur nihil tale potest intelligi nisi infinitum, sequitur quod illud quod Pater dedit suo Filio erat infinitum; hoc non videtur nisi divina essentia; ergo propositum.

1670

**125.** Praeterea, in omni generatione univoca terminus formalis in producto est eiusdem rationis cum producente; sed nihil est ibi tale nisi divina substantia, et ibi est generatio univoca; ergo propositum. Probatur istud, quoniam si esset generatio aequivoca, producens esset perfectius producto, quod ibi minime potest esse. Quod autem ita sit probo, quoniam quaecumque sunt alterius rationis specificae sunt inaequaliter perfecta; sed in productione aequivoca producens et productum sunt alterius rationis specificae; ergo ibi producens et productum sunt inaequaliter perfecta. Sed hoc non potest esse inter divina supposita iuxta symbolum: “aequalis Pater, aequalis Filius” etc. Ergo sequitur quod ibi non est productio aequivoca, et per consequens cum sit productio, sequitur quod est univoca; quare propositum.

1675

C 70ra

1680

<Conclusio 9>

1685

**126.** Nona conclusio et finalis est haec: utriusque passivae productionis totalis terminus est tantummodo condicio personalis. Haec conclusio satis est nota, quoniam persona Filii est producta, et similiter persona Spiritus Sancti, et per consequens alicui rationi competit totalis termini condicio. Sed non rationi essentiali, quia illa est terminus formalis; nec notionali, quia illa ut sic non circumplectitur personalitatis omnimodam rationem; ergo per sufficientem divisionem est condicio personalis. Et ista est in rei veritate Doctoris Subtilis positio breviter recollecta.

1690

**127.** Imaginatio positionis Doctoris Subtilis consistit in hoc: principium elicited dicit aliquod posse; potentia autem solet accipi

1695

1669 quod...670 est] Ioan. 10, 29.

duobus modis, uno modo pro potentia logica quae nil aliud est quam non-repugnantia extremorum, et sic inter istos terminos ‘Deus’ et ‘generans’ nulla videtur repugnantia; sed de hoc non est inquisitio. 1700 Alio modo accipitur potentia realiter, et sic vel est activa vel passiva. De secundo modo non est praesens intentio, sed de primo. Et sic adhuc posset dupliciter capi: aut pro eo quod connotat, aut pro fundamento proximo talis relationis. Primo <modo> dicit relationem et sic non est adhuc difficultas. Sumitur ergo ‘posse’ pro quadam 1705 potentia activa sine quacumque connotatione ad aliud; et isto modo est quid absolutum. Tamen dicitur quandoque potentia activa pro tali absoluto, quandoque pro tali absoluto cum omnibus circumstantiis requisitis ad productionem effectus. Nunc ergo imaginatur quod tale absolutum est principium elicitivum, et est divina essentia licet non sit 1710 immediatum et proximum respectu productionis, sed ipsa ut est intellectus et similiter intelligibile praesens intellectui est principium immediatum elicitivum generationis. Et similiter ipsamet essentia, ut voluntas est obiectum diligibile infinitum, est principium immediatum et proximum elicitivum spirationis. Sic igitur apparet quod divina 1715 essentia est quasi remotum principium elicitivum, et totum hoc est proximum et immediatum divina essentia ut obiectum intelligibile et intellectus divinus.

**128.** Et sic apparet quod relationes originis sunt elicitae a divina essentia et quasi pullulant sicut flores ab arbore. Et similis imaginatio 1720 est hucusque Henrici de Gandavo et beati Thomae. Sed in hoc differunt, quia illi ponunt quod divina essentia est quasi ex se indeterminata, sed per relationem determinatur ad actionem. Et sic apparet, secundum eos, quod ibi est principium elicitivum ipsa divina essentia, sed distinctivum ipsa relatio et quasi determinativum. Sed 1725 iste doctor dicit quod essentia divina est principium formale producendi aliquam personam et sufficienter sine quacumque determinatione, sed non potest exire in actum nisi concurrente personali proprietate, non quod determinetur per personalem proprietatem, sed ut fiat in potentia propinqua ad agendum in qua non 1730 est nisi ut est in supposito. Sed tamen ista controversia potius videtur in verbis quam in re ut ipsemet dicit in *Lectura Parisiensi*. Et ideo apparet quod principium elicitivum est divina essentia et quia ipsa

C 70rb

---

**1731** Lectura Parisiensi] IOANNIS DUNS SCOTI, *Reportatio I-A*, d. 7, q. 1, n. 36, ed. A. WOLTER-O. BYCHKOV (St. Bonaventure U., 2004, p. 314-315): Et isto modo intelligendo principium formale producendi aliquid, non discordat forte haec opinio a priori in re, sed tantum in verbo, nam concedo quod relatio concurret cum essentia ad producendum Filium, non ut determinet essentiam quae de se est determinata, sed ut fiat in potentia propinqua ad agendum in qua non est nisi ut in supposito et persona.

communicatur Filio, sequitur apud eum quod divina essentia est elicativum principium et terminus formalis productionis. Sicut si idem calor existens in igne communicaretur ligno, idem calor numero est principium elicativum calefactionis et terminus formalis talis calefactionis. Et sic per simile est imaginandum de divina essentia quod ipsa est principium elicativum talis productionis et terminus formalis eiusdem. 1735

**<Opinio Petri Aureoli>** 1740

**129.** Contra tamen istam imaginationem arguit dominus Petrus Aureoli dicens quod omnes isti qui ponunt in divinis aliquod principium elicativum ad intra vel terminum formalem sunt turpiter decepti. Quod probatur efficaciter aliquibus rationis quas recitabo, ut via sustinendi praedictorum doctorum lucidior appareat per subsequentem rationem. 1745

**130.** Arguit igitur primo sic: res paternitatis non potest esse res quae capiat suum esse aliunde, alioquin ita vere Pater esset productus sicut Filius vel Spiritus Sanctus; sed productio sive generatio-activa et paternitas sunt omnino idem; ergo si generatio esset elicivum, et paternitas. Et per consequens aliunde caperet esse, quod non est verum. 1750

**131.** Praeterea, si generatio est aliquid elicivum, vel ergo ab essentia, vel a persona. Non ab essentia, quia tunc realiter distingueretur ab ipsa, quod falsum est. Nec a persona, quia impossibile est quod aliquid eliciat suum formale constitutivum; quare propositum. 1755

**132.** Praeterea, si generare ponatur ab essentia pullulare et elici, sequitur quod essentia est suppositum absolutum, quod est falsum,

---

**1747** primo sic] PETRI AUREOLI, *Scriptum in I Sent.*, d. 5, sect. 17, n. 91, ed. E. BUYTAERT (St. Bonaventure U.-FIP text series n. 3, 1956, p. 793): Res quidem paternitatis non potest esse res quae capiat suam realitatem aliunde. Si enim caperet, tunc Pater constitueretur formaliter per rem productam et elicivam ac capientem aliunde originaliter entitatem;... generatio et paternitas sunt eadem res diversis verbis expressa. **1753** Praeterea] PETRI AUREOLI, *Scriptum in I Sent.*, d. 5, sect. 17, n. 92, ed. E. BUYTAERT (St. Bonaventure U.-FIP text series n. 3, 1956, p. 793-794): Praeterea, si generare est aliquid elicivum, aut elicivum ab essentia, aut elicivum a Patre. Sed impossibile est quod elicivum a Patre, quia nulla res elicivum suum formale principium constitutivum; alias eliceret se. **1758** Praeterea] PETRI AUREOLI, *Scriptum in I Sent.*, d. 5, sect. 17, n. 96, ed. E. BUYTAERT (St. Bonaventure U.-FIP text series n. 3, 1956, p. 794-795): Praeterea, si generare ponatur aliquid egrediens aut pullulans et esse capiens, necesse est quod deitas a quo pullularet sit suppositum absolutum... Si vero dicatur quod illud suppositum absolutum ponit in numerum cum aliis tribus, tunc erunt quatuor supposita et quatuor personae.

1760 quia tunc essent quatuor supposita in divinis, unum absolutum et tria  
relativa. Et similiter quod tunc Deus se ipsum faceret Patrem sicut  
Sortes, qui autem elicit actum generationis se ipsum facit Patrem,  
quod videtur absurda; quare etc.

1765 **133.** Praeterea, arguit quod ibi non sit formalis terminus sic: illa  
generatio non potest habere formalem| terminum per quem nihil C 70va  
acquiritur nisi praeexistens. Sed per generationem Filius acquirit  
essentiam quod vere praeexistebat in Patre, et ex hoc quod est in Filio  
non originatur in eo; ergo talis essentia nullo modo potest dici  
terminus formalis generationis ex quo nullum esse capit per  
1770 huiusmodi generationem; ergo ibi nullus est talis terminus  
imaginabilis.

**134.** Ex quibus iste doctor concludit quod in divinis nec est  
elicitivum principium nec terminus formalis productionis. Sed qualiter  
est tunc ibi generatio, imaginatur per istum modum: aliter enim Sortes  
1775 dicitur generare, aliter generans dicitur generare. Nam Sortes generat  
per hoc quod elicit generationem, sed generans dicitur generare non  
per modum elicentis sed per modum constituentis. Vel sub aliis  
verbis, et reddit in idem: aliud est generare constitutive, aliud elicitive.  
Sicut Sortes dicitur generare elicitive, sed generans constitutive. Sic  
1780 etiam in divinis, quia generatio-actio constituit Patrem, non dicitur  
Pater generare elicitive, quia sic eliceret illud per quod constituitur in  
esse, quod falsum est. Et ideo dicitur generare constitutive. Et iste  
modus generandi est perfectior modo generandi per elitionem.

**135.** Similiter ibi non dicitur essentia terminus formalis, quia  
1785 non capit esse per productionem, sed ibi est generatio per modum  
formae symbolicae, sicut quando aliqua forma manens eadem transit  
de supposito ad suppositum. Unde Philosophus, II *De generatione*,  
vocat caliditatem quae manet in aere post corruptionem ignis  
qualitatem symbolicam, quia eadem numero videtur fuisse in igne,  
1790 sicut per imaginationem post productionem Sortis accresceret sibi

---

**1761** Et similiter] PETRI AUREOLI, *Scriptum in I Sent.*, d. 5, sect. 17, n. 97, ed. E. BUYTAERT (St. Bonaventure U.-FIP text series n. 3, 1956, p. 795): Praeterea, si generare esset aliquid elicivum in Deo, Deus faceret se Patrem, sicut quia Sortes elicit generare facit se patrem. **1764** Praeterea] PETRI AUREOLI, *Scriptum in I Sent.*, d. 5, sect. 17, n. 102, ed. E. BUYTAERT (St. Bonaventure U.-FIP text series n. 3, 1956, p. 797-798) summam. **1784** Similiter] PETRI AUREOLI, *Scriptum in I Sent.*, d. 5, sect. 17, n. 127, ed. E. BUYTAERT (St. Bonaventure U.-FIP text series n. 3, 1956, p. 805-806): Similiter igitur in divinis; deitas per generationem non attingitur ut subiectum, nec ut formalis terminus, sed transfunditur ut forma symbolica et communis. **1787** Philosophus] ARIST., *De gener. et corrup.*, II, c. 4 (AL IX-1, 59-60; β, c. 4; 331a26-b 1); AVERROES, *ibid.*, com. 36 (ed. Iuntina V, f. 171rb).

unum brachium, tunc anima communicaretur illi, non per modum termini formalis, quia non capit ibi novum esse, sed per modum formae symbolicae. Et ista est imaginatio sua in materia praesenti quae, licet videatur pulchra, tamen motiva sua leviter possunt solvi secundum primam opinionem. 1795

<Contra argumentum Petri Aureoli>

**136.** Ad primum igitur cum dicitur res paternitatis non capit esse ab alio, concedo; ‘ergo non est elicita’, consequentia nihil valet, quia est aequivocatio, ut superius dixi de elicitio. Nam uno modo sumitur pro producto, et sic paternitas non est elicita. Alio modo pro eo quod denominat aliquid esse producens, et sic non oportet quod si sit elicita quod sit producta. 1800

**137.** Ad secundum cum dicitur: vel est elicita ab essentia vel a persona, dico quod ab essentia. Et cum infertur ergo est distincta ab ea, nego consequentiam, quia bene valeret si sumeretur elicatum pro producto. 1805

C 70vb **138.** Et si DICATUR quod idem elicit aliquid| sibi ipsi, ideo DICETUR quod non esset inconveniens, quia licet generatio-activa et essentia sint idem realiter, non tamen sunt idem formaliter. Et hoc sufficit quod unum sit eliciens et aliud elicatum, sicut formalis distinctio sufficit quod unum est absolutum et alterum relativum. 1810

**139.** Ad tertium cum dicitur quod tunc essent quatuor supposita, nego. Et cum dicitur quod tunc esset unum suppositum absolutum, hoc nego, quia non oportet quod ex hoc quod essentia eliciat generationem quod sit suppositum absolutum. Nam de facto, secundum aliquos, elicit creationem, et tamen non est suppositum absolutum. Potest tamen dici quod argumentum semper facit mentionem de elitione quae est productio cuiusmodi non est in proposito. 1815

**140.** Ad quartum diceretur quod non oportet quod terminus formalis semper capiat esse simpliciter, sed sufficit quod secundum quid, sicut si fieret unum corpus de novo cui anima Adae infunderetur, illa anima diceretur terminus formalis illius producti hominis, et tamen talis non caperet esse simpliciter sed secundum quid, id est in illo corpore. Sic diceretur de divina essentia respectu filiationis; et sic apparet quid est dicendum secundum istam opinionem. Et sic primus articulus terminatur. 1825

---

1818 est<sup>2</sup>] productio *add. sed del. C*

---

1797 Ad primum] Cf. supra n. 130. 1799 superius dixi] Cf. supra n. 128. 1803 Ad secundum] Cf. supra n. 131. 1812 Ad tertium] Cf. supra n. 132. 1819 Ad quartum] Cf. supra n. 133.